**Historiae naturalis libri XXXVII / Ex recognitione Joannis Harduini et Gabrielis Broterii, cum notis selectioribus.**

**Contributors**

Pliny, the Elder.
Hardouin, Jean, 1646-1729.
Broterii, Gabrielis.

**Publication/Creation**

Venice : T. Bettinelli, 1784-1785.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/yfrqa95k

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

4134418

42550

# CAII PLINII
# SECUNDI
## HISTORIÆ NATURALIS
*LIBRI XXXVII.*

*Ex Recognitione*

JOANNIS HARDUINI

Et

GABRIELIS BROTERII.

*Cum Notis Selectioribus.*

## TOMUS I.



VENETIIS MDCCLXXXIV
Apud Thomam Bettinelli

*Cum Facultate, ac Privilegio,*

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

LAZARO. SPALLANZANIO
VIRO. CLARISSIMO
IN. I. R. TICINENSI. ARCHIGYMNASIO
NATURALIS. HISTOR. PROFESSORI
ATQUE. ILLUSTRIORUM
IN. TOTA. EUROPA
ACADEMIARUM. SOCIO
CUI. UNI. VEL. NEMINI
APUD. NOSTRATES
OB. RERUM. PHYSICARUM. SCIENTIAM
PULCHERRIMAQUE. EXPERIMENTA
C. PLINII. SECUNDI
IMMORTALE. AC. PROPE. DIVINUM. OPUS
NUNCUPARE. FAS. EST

HANC. A. SE. PLINIANI. OPERIS
NAVITER. CURATAM. EDITIONEM
LUDOVICUS. ANTONIUS. LUSCHIUS
CULTOR. AMICISSIMUS
PERPETUI. MONUMENTI. CAUSSA
D. D. D.
POSTR. NON. OCTOB. M. DCC. LXXXIV.



Alessandri et Scattaglia f.

*Pulcherrimarum clade terrarum ut populi, ut urbes memorabili casu quasi semper victurus occidit.*

*Plin. Jun. lib. 6. Ep. 16.*

# GABRIELIS BROTERII

## EDITORIS PARISIENSIS

## *PRÆFATIO.*

## ERUDITO LECTORI.

MAXIMUM naturæ opus, cælum, terras, homines, hominumque ingenia, infinita animalium, herbarum, medicinarumque genera, vitales aquarum fontes, metallorum opes, lapidum varietates, artium miracula, gemmarumque decora complexum, edere eo libentius adgredior, quod, cum in Corn. Tacito, quid Romanorum prudentia illustrius ac splendidius habuerit, ostenderim, in C. Plinio, quid eorum eruditio scientiaque Historiæ Naturalis uberius atque magnificentius collegerit, sum propositurus. Cer-

tus quoque in his duobus potissimum libris contineri, quæ mores instruant, & vitam erudiant.

Cajus Plinius Secundus, tanti operis scriptor, natus est C. Asinio Pollione & C. Antistio Vetere Consulibus, anno Urbis conditæ DCCLXXVI, Jesu Christi 23. (*a*) De ejus natalium gloria certant Novocomenses & Veronenses: nobili quidem studio, & virtutis laudisque æmulatione semper excusato. At cum Plinius ipse Catullum conterraneum suum esse fateatur, antiquique quidam libri, quos inter Ms. Reg. 6801, nomen *Plinii Veronensis* præferant, nulla penes eruditos viros, quos partium vanitas non exagitat, suboriri debet difficultas (*b*). Primos pueritiæ ac juventutis annos egit per fœda Tiberii, & insana Caji Cæsaris tempora. Haud melior adfulgebat spes sub Claudio hebete, muliebribusque, aut servilibus imperiis. In hac temporum nequitia, juvenilis animus, publicis privatisque vitiis,

(*a*) Ita Cl. Rezzonicus censet. Sed in hoc omnes non consentiunt. EDITOR VENETUS.

(*b*) Adhuc tamen sub judice lis est. Novocomensium enim partibus aperte favet Cl. Jo. Aug. Ernestus ad *Jo. Alb. Fabricii Lat. Biblioth.* Tom. I. pag. 179. & in eas quoque eruditi Tiraboschii animus caute inclinare videtur. Cf. *Ital. Literat. Hist.* Tom. II. pag. 155. in fin. ED. VEN.

quæ in Urbe in qua fuit institutus continuo observabantur, intactus, id arripuit quod optimum supererat, totumque se vertit ad literarum studia. Ne quis etiam foret otio aditus, omnigenæ eruditionis immensitatem amplexus est.

Eo tamen scientiæ impetu haud retardata civis officia. Ubi militiæ tempus adfuit, in Germania ita se adprobavit L. Pomponio Secundo legato, ut, quem sortitus erat ducem, amicum semper sit expertus. Ex ingenita autem literarum cupidine, ipsæ castrorum artes in studia cessere, librumque de *Jaculatione equestri* composuit, cum ipse esset alæ præfectus. Devictis interim Cattis, Pomponius triumphalem honorem adsecutus est. At, gloriæ suæ non diu superstes, novam Plinio scribendi materiem obtulit. Hæc, vel in ipso luctu, tanto gratior accidit, quod in scribenda Pomponii vita ducem fortissimum, poetam carminum laude præcellentem, spectatissimumque amicum celebraret.

Tum in Urbe e castrorum tumultu ad fori strepitum adcesserat: quam tuendæ patriæ armis, eamdem defendendis eloquentia civibus operam impensurus. His curis intento alacritatem addebant haud illæta Neronis initia. In principe,

qui ſub Burri & Senecæ diſciplina adoleverat, literarum ſplendorem ominatus, tres libros *Studioſorum* inſcriptos, & in ſex volumina propter amplitudinem diviſos, edidit, ut oratorem ab incunabulis inſtitueret ac perficeret, eruditumque informaret illuſtribus exemplis ad declinandas controverſiarum fraudes, in forum cuncta audendi libidine & præmiis ſub prioribus principibus invectas. Simul Germanica bella, quæ jam pridem componere erat adgreſſus, viginti voluminibus comprehendit: nobiliſſimum quidem hiſtoriæ argumentum, quo non modo immortalem Druſi ac Germanici memoriam revocabat; ſed cum clariſſimorum ducum gloria ſtipendia ſua victoriaſque connectere haud erat ingratum.

At nec ſolitariæ, nec inertes erant apud Romanos literæ: ſua laude inclytos ad publica munera promovebant. Hæc Plinius per Hiſpaniam obivit; &, quæ equeſtris fuit nobilitas, res Cæſaris ibi procuravit. Publicas inter occupationes, literarum numquam immemor; immo eis deditus, ne ullum quidem effluere ſinebat temporis momentum, quo non aliquid vel legeret, vel audiret, vel ſcriberet, vel enotaret. Illa ſciendi aviditate in tantam molem famamque excre-

vere ejus adversaria, (*Electorum commentarios* appellabat) ut ea Lartius Licinius cccc millibus nummûm, in Hispania emere percuperet. At cetera omnia sint auro parabilia. Venale non est ingenium; unumque fortunam supereminet.

Tantis auctus opibus, Plinius in Urbem reversus, cuncta in pejus ruisse reperit. Quanto diutius coercitæ Neronis libidines, tanto acrius efferbuerant; & ubi eruperunt, cuncta perditum iere; immanis statim foret visus, ni ipse singulos in dies fuisset atrocior. Adcedebant cælestes iræ; Urbsque & Italia portentis pestibusque exagitatæ: sed portentum majus majorque pestis Nero. Opes, forma, nobilitas, virtus exitio vertebantur. Ne literarum quidem perfugium, sapienti semper obvium, manebat apud Principem literaria etiam invidia ferocem. Nosci erat intutum, nec tutum latere. Prudenti celebritatem inter & obscuritatem temperamento, Plinius octo libros *Dubii sermonis* edidit. Tenuitate quidem operis, quod abstrusos verborum sensus scrutabatur, principem adversus altiora erectum elusit: at vix effugit superciliosas grammaticorum minas, quas contemptu castigandas censuit.

Dum illi infremebant, Nero scelerum suorum conscientia publicoque odio invisus ac miser, supremo scelere vitam sibi finivit: pacem terrarum orbi daturus, nisi ejus mortem excepissent bella civilia. Assiduis per tot annos malis tandem subvenit salutaris Vespasiani exortus. Fatiscentem imperii molem sustinuit princeps priscæ & majoribus laudatæ virtutis ac parsimoniæ. Mores, leges, artes, literæ revaluere. Plinius, qui interim Africam lustraverat, in Urbem rediit, publicæ pacis & securitatis admiratione ac laudibus præcipuus. Iis condecoravit XXXI Historiæ libros, quos, a fine Aufidii Bassi orsus, ad hunc resurgentis Romæ splendorem deduxerat. In Vespasiani familiaritatem adscitus, cum per diem publica implevisset officia, noctu adibat principem, qui & ipse diurna imperii negotia indefessus sustinebat, noctibus sibi amicisque & literis utebatur.

In hac dulcissima principis societate, quam Titi Cæsaris humanitas exhilarabat, meditatum opus, præsenti temporum felicitate dignissimum. Vi eloquentiæ & carminum gloria supra æmulationem evecta fuerat Roma. Una supererat natura, Romanis pæne intacta,

quam noscere commune est votum, describere opus difficillimum. At arduo opere mens Plinii excelsior, non partes tantum, sed rei immensitatem amplexa est. Illam quoque ut præstantiorem atque utiliorem faceret, singularum rerum naturas earumque utilitates persecutus est, artes cum ipsa natura certantes mira dexteritate descripsit, & inter tot naturæ artiumque miracula hominem per virtutes & vitia miraculum majus semper exhibuit. Opus, cui par rerum amplitudine, doctrinæ copia, eloquii facilitate anteacta ætas non tulerat, post tot sæcula nondum superatum, nec forte umquam superandum, sub auspiciis Titi Cæsaris in lucem prodiit, Vespasiano Augusto VIII, & Tito Cæsare VI Consulibus, anno Urbis conditæ DCCCXXX.

Biennio post pulcherrima terrarum Campania, furentibus intus ignibus, concussa est tremoribus, mirumque in modum ardere cœpit Vesuvius. Plinius, Misenensis classis præfectus, præsens tum aderat. Ut amicis ceterisque periclitantibus opem ferat, ipse quoque naturam inter incendia explorandi avidus, montem adit inter depluentes cinerum & pumicum turbines. Dum propius succedit, flammis & flammarum

prænuntio odore sulphuris exanimatus est anno ætatis suæ quinquagesimo sexto. Non, ut mortalium vulgus, ignava morte periit; sed, ut populi, ut urbes, magna clade, & inter humanitatis naturæque studia occidit: in hominum fama æternum victurus. Tantum quoque felicitatis adsecutus est, ut sororis suæ filium, quem adoptaverat, nominis sui heredem reliquerit, literarum & virtutum gloria simillimum.

Historia Naturalis, quæ e tot Plinii operibus una nunc superest, meis laudibus non indiget, publicis præconiis & septemdecim sæculorum utilitatibus commendata. Id solum observaverim in ea plus esse antiquitatis, doctrinæ, naturæ, artium, quam in ceteris omnibus Græcorum Romanorumque libris; maximamque totius ævi memoriam fuisse perituram, si unum hoc opus periisset.

At, obmurmurat aliquis, sunt in Plinio multi errores. Sunt certe, & quidem plurimi, si numerentur. Perpauci tamen, si cum infinita rerum verissimarum certissimarumque multitudine conferantur. Erunt errores, donec erunt homines. Vivis nostris scriptoribus non obloquar, quos inter unus eminet ingenii excelsitate, elo-

quii majestate Plinio proximus (*a*), major etiam futurus, nec tantæ enim gloriæ impar, si, quam maxima cum laude in multis Historiæ Naturalis partibus, hanc in omnibus operam præstitisset, eamdemque naturæ, artium, sæculorum, morum, publicarumque utilitatum amplitudinem tractare ausus, maximum & pulcherrimum scribendi argumentum unico opere paucisque voluminibus comprehendisset. Morte consecratos appellabo naturalis scientiæ proceres, in astronomicis Dominicum Cassinium, in geographicis Guillelmum de l'Isle, in re herbaria Josephum Tournefortium, in totius naturæ classibus Carolum Linnæum. Quales quantosque viros! In hac tamen ipsorum novitate, iis jam errores imputantur. Stat ergo vel inter errores scientiarum decus, & eruditorum virorum gloria. Sic magnifica semper semperque veneranda

(*a*) Dicam audentius, quam Gallo homini, citra invidiam, liceat. Cl. Buffonius, eloquentiæ laude, Plinio non tantum *proximus*, sed par, minime illi concedit; quin eum, styli granditate, nobilitate, elegantia, perspicuitate, longe post se reliquisse censendus est. Hoc prædico atque adfirmo. Quis enim, in magna verborum vi, Plinii obscuritates, ambages, nec semper laudandam novitatem, non agnoscit? Summo nempe ingenio summa interdum obfuit scribentis properantia. ED. VEN.

est natura, licet frugibus venena inseruerit. Sic in magnis viris emicat & irradiat claritas, licet humanis nonnumquam septa sit vitiis. Errores in Plinii libris adrodat indoctus & malevolus: doctus æquusque lector eos prætervolat, ad recte egregieque dicta properat: iis proficit, & profecisse gloriatur.

Pro Plinio adhuc militat res observatione dignissima & certissima. Nempe quo magis hac nostra ætate amplificatur naturæ scientia, quo plures fiunt per Europam, Asiam, Africamque doctorum hominum peregrinationes, quo plura e terræ visceribus eruuntur antiquitatis monumenta, eo magis crescit Plinianæ diligentiæ ac veritatis fides. Immo & ultra terras, quas victor populus Romanus adierat, exoriuntur ejus doctrinæ argumenta. Comperi ex epistolis ab urbe *Peking* scriptis a viro, in doctrina naturaque Sinensi exercitatissimo, se in libris, in agris Sinensibus singularem Plinii multis de naturæ rebus peritiam deprehendere.

Haud mirum ergo, si per omnes retro ætates tanta fuerit Plinii veneratio; si tamdiu scientias, agros, artes, valetudines unus rexerit: si passim adhuc per urbes, per rura, divulgata

occurrant ejus documenta; si tot ad nos pervenerint manu scripti ejus codices; si, inventa typographica arte, pluries, quamvis ampla sit ejus moles, quam ceteri scriptores, fuerit recusus (*a*).

Prima principsque ejus editio, rarissima & ferme auro rependenda, Venetiis prodiit anno 1469, cum his versibus ad libri finem additis:

*Quem modo tam rarum cupiens vix lector haberet;*
*Quique etiam fractus pene legendus eram:*
*Reſtituit Venetis me nuper Spira Joannes,*
*Exſcripſitque libros, ære notante, meos.*
*Feſſa manus quondam, moneo, calamuſque quieſcat:*
*Namque labor ſtudio ceſſit & ingenio.*

M. CCCC. LXVIIII.

Ad artis decus, veteremque typographicæ artis memoriam illustrandam, haud siluerim tribus mensibus tantum Plinii opus maxima opti-

(*a*) Non *pluries* tamen quam Terentius, Cicero, Livius, Virgilius, Horatius, Ovidius &c. ni forte dicamus, solas hic intelligi editiones sæculi XV. ED. VEN.

maque charta (vidi & splendidissima membrana), nitidissime fuisse editum, centumque excusa exemplaria.

Sequenti anno alteram editionem, eam quoque magnificam, Paulo II. Pontifici Maximo dicatam, Romæ publicavit optime de literis meritus Joannes Andreas, Episcopus Aleriensis, cui adfuit Theodorus Gaza, vir ætate sua eruditissimus. Labentibus quintidecimi hujus sæculi annis iterum atque iterum Venetiis, Romæ, Parmæ, Tarvisii, Brixiæ quatuordecies recusus est Plinius. Tarvisina editio in lucem emissa anno 1479. versus habet in sequentibus editionibus sæpe repetitos:

*Quid juvat innumeris onerare scrinia libris?*
*Solus pro cunctis Plinius esse potest.*

At inter omnes, qui hac ætate Plinium illustravere, palmam doctrina & diligentia tulit Hermolaus Barbarus, nobilis Venetus, Patriarcha Aquilejensis (*idemque postea S. R. E. Cardinalis.*)

Sextumdecimum sæculum ferme quinquagies Plinium edidit. In hac palæstra cum laude de-

sudarunt Joannes Cæsarius, Sigismundus Gelenius, Beatus, Bildiusve, Rhenanus, Desiderius Erasmus, Ferdinandus Pintianus & Jacobus Dalecampius. Symbolas quoque contulere, qui primatum in literis tum obtinebant Guillelmus Budæus, Hadrianus Turnebus, Joseph Scaliger, & super omnes laudandus ob egregia in Plinium studia Guillelmus Pellicerius, Episcopus Monspeliensis.

Novem quoque editionibus laudem quæsierat septimumdecimum sæculum; quas inter eminebant, quæ Lugduni Batavorum apud Elzevirios ex Joannis de Laet, apud Hackios ex Variorum & Joannis Frederici Gronovii recensionibus prodierant. Insuper doctissimus Claudius Salmasius duo ingentia Plinianarum Exercitationum volumina cum magno, sed sæpe inutili, eruditionis apparatu evulgaverat.

Post tot labores per duo sæcula Plinio impensos, universa adhuc erat in orbe literario querela Plinium desiderari; fontem hunc antiquæ doctrinæ uberrimum ita sordescere, ut, nisi repurgaretur, natura, artes, literæ maximum detrimentum semper essent passuræ. Æquioribus querelis finem imposuit Joannes Harduinus, e

Societate Jesu. Vir maxima eruditione, summa sagacitate, concinna in scribendo brevitate, in re nummaria & omni antiquitate versatissimus, rei herbariæ ceterarumque naturæ partium, ut ferebant illa tempora, peritus, subsidiis quæ in Collegii Ludovici Magni bibliotheca, cui præerat, plurima occurrebant, egregie usus, editionem ad usum Delphini anno 1685. in lucem emisit. Emendationum felicitate, notarum elegantia, uberrima semper, & parca tamen, doctrina, omnium admirationem movit, & æternum sibi optimæ veræque eruditionis nomen comparavit: super omnem certe reprehensionem positus, si quandoque non celasset, per quos profecisset. Ceterum in edendis antiquorum libris facile princeps & exemplar.

Alteram editionem publicam fecit an. 1723. (*a*) At, quæ est humani ingenii inconstantia! vir

(*a*) Hæc editio, Paris. 3. voll. fol., altera 5. voll. 4.to longe accuratior, in summo habetur pretio. Quare in ora paginarum inferiori ejusdem varias lectiones usque ad unam descripsimus, quæ in contextu Broterianis castigationibus locum fecere. Potuit utique Broterius, sed nescio cur noluerit, ipsas in notis suis servare, quemadmodum Harduinus priorum editionum quisquilias in Emendationum Indice minutissime servavit.

eruditissimus, quasi gloriæ suæ & scientiæ pertæsus, in singulares opiniones discesserat, quas huic editioni insertas voluit. Plinium, quem Veronensem olim recte agnoverat, meris verborum cavillationibus Romanum fecit. Genuinos Plinii partus, nuncupatoriam ad Titum Cæsarem epistolam, primumque librum, a Plinio sæpe memoratum, & qui est totius operis index utilissimus, falsitatis arguit, levissimis aut potius nullis de causis, ut comperi ex ejus epistola ad eruditum Papebrochium scripta. Nummis per initiales literas explicatis abusus est, ut historiam ad libitum verteret. Cæca etiam, ut parentum in liberos, sic in suas opiniones indulgentia, iis ut faveret, nonnulla Plinii loca interpolavit, notasque plurimas adulteravit. Verum tanta erat operis præstantia, ut ejus famam atque utilitatem labefactare minime valuerit.

vavit. Ceterum a Broterii exemplari, Paris. 1779 12.mo recuso, sexque voll. comprehenso, ne latum quidem unguem recessimus, nisi ubi manifesto peccatum esse animadvertimus. Sed de unoquoque editionis Barbou, vel dubio, sphalmate lector admonetur; quod nulla jactantia factum est, ut nimirum illi diligentia nostra religiosaque fides satis abunde comprobari queat. ED. VEN.

Sic comprobatum quod Illustrissimus Huetius, eruditus ipse & singularis, paulo ante de Harduino dixerat: „ Triginta abhinc annis adlabo„ rat, ut gloriæ suæ monumentum evertat; „ sed irrito conatu “. Immo altera hæc editio, vel suis cum vitiis, prioris famam sustinet, illi etiam ob locupletissimum indicem, nec satis umquam laudandum, anteferenda. Iterum excusa est Basileæ (falso enim præfert Parisiorum nomen) anno 1741.

Huc stetit hactenus in edendo Plinio diligentia. Quasdam tamen partes postea Londini attigit David Durandus, nec inerudite: at sine censoria sagacitate, quæ in hujusmodi operibus præcipua est (*a*). Disquisitiones quoque Plinianas edere orsus est Cl. Antonius Joseph Comes a Turre Rezzonici: multi laboris, plurimæ patientiæ opus, ob præclara in Plinium studia merito laudandum, majoris tamen futurum utilitatis, si nimia prolixitate non laboraret. (*b*)

(*a*) Post Durandum nonnullas lectionum varietates Præfationi Plinianæ adnotavimus, quas ille ex Codice Reg. Soc. Londin. Ms. edidit A. 1728. ED. VEN.

(*b*) Vix credam Cl. Broterio inter eos, qui Plinium illustrarunt, non innotuisse doctissimi Jo.

Matt.

Ante duos & viginti annos, cura Illustrissimi Viri Lamoignon de Malesherbes, literarum & naturæ studiosissimi simul & peritissimi, egregium optimumque cum eruditis viris agitatum fuerat consilium, ut splendidissima Plinii editio prodiret. Propositum erat Plinium quam emendatissimum recudere, quidquid est naturæ, antiquitatis, artium, evolvere, comparare, illustrare, &, collatis inter se antiquorum recentiumque temporum inventis, universas Historiæ Naturalis totiusque ævi opes exhibere. Consilium, quo nullum umquam exstitit literis & artibus utilius, in ipsa operis meditatione oppressum est. Eadem ferme spopondit Latina Gallicaque Plinii editio, quæ ante aliquot an-

Matt. Gesneri nomen, cujus *Chrestomathia Pliniana* cum notis prodiit Jenæ A. 1723, 8.vo, repetita Lips. & Zellæ A. 1753. *In hoc libro* (ait Ernestus ad Fabricii Lat. Biblioth. T. II. p. 206.) *est ad Plinium & intelligendum egregia præparatio, & ad totum lectione cognoscendum invitatio.* Dolet equidem, quod operis raritas exquirendi studium adhuc fefellerit. Sed tandem inveniemus, ut sperare fas est; ac dabimus ex illo in fine octavi & postremi voluminis quæ e studiosorum re magis esse arbitrabimur. ED. VEN.

nos Parisiis prodire cœpit, & est fini proxima: at tantis non stetit promissis(*a*).

Recensitis superioris ætatis laboribus, nunc superest ut hujusce editionis consilia explicem. Suscepta est, ne in elegantissima scriptorum Latinorum serie, quam multa cum laude & literarum utilitate excudere satagit Cl. (*b*) Joseph Barbou, Plinius, eruditionis fons, & Romanarum scientiarum decus, desideraretur (*c*). Cum commoda sit voluminum forma, adlaboravi ut foret utilis(*d*). Operæ prætium fuit Mss. codices revisere, editionem principem, quæ ob raritatem op-

(*a*) Nolim tamen hanc editionem despectui plane habeas, nisi primum oculis ipse tuis inspicias. Portentum namque simile esset tot literatos viros, tot annorum laboribus, nihil boni ad Plinii lectionem illustrationemque attulisse. ED. VEN.

(*b*) Leve hoc est, sed tamen dicere non abstineam. Probissimum aut peritissimum, a morum honestate vel ab industria, bibliopolam & cujusque generis artificem, quantumvis excellentem, mercatoremve, ne omnia misceantur ac perturbentur, appellari malim. ED. VEN.

(*c*) Hoc planum est; nec aliter fieri poterat, si horum auctorum delectus, nedum integra series, sibi constare debebat. ED. VEN.

(*d*) Intellige non de *voluminum forma*, (quod foret absurdum) sed de tota Operis editione. Attamen non *inutilis* esse deberet editio, etiamsi majori forma esset parata. Hoc est profecto obscurus fieri nimio brevitatis studio. ED. VEN.

timis etiam editoribus (*a*) non innotuerat, ad examen revocare, nummos veteres cum Gallica nostra moneta conferre, vetusta rerum nomina recentioribus nominibus illustrare, antiquitatis monumenta evolvere (*b*). Id præstiti, quantum licuit per voluminum angustias. Utinam plus fuisset spatii, ut dissertationibus nostris, numerosioribusque & amplioribus explicationibus & emendationibus Plinius inclaresceret (*c*). At vel

(*a*) Inter hos vel magnum extitisse Harduinum patet ex editionum elencho, quibus ad suam adornandam incomparabilis ille vir usus est. ED. VEN.

(*b*) Nos autem pene ab omni sive nummaria, sive geographica, sive chronologica eruditione supersedendum esse duximus; quapropter non adeo pauca ex Broterianis notis, (una vel altera nostra adjecta animadversione) lectorum tempori & crumenæ parcentes, resecuimus. Habent siquidem harum rerum studiosi *Dictionaria*, ut ajunt, ac tractatus, quos consulant. Ex his qui transcribere velit, operam & oleum perdere prorsus existimandus est. Multo minus præterea Cl. Broterius exemplo nobis erit, ubi animalium, plantarum, lapidum &c. Latina nomina Gallico reddit sermoni; ut nimirum suis hominibus id ferat auxilii, quo nostros confidimus non indigere. Alia uno verbo antiquorum fuit, alia apud nos esse debet commentandi ratio: nobis videlicet illa modo adnotanda, quæ a lexicis ceterisque libris vulgatissimis peti nequeunt. ED. VEN.

(*c*) In hoc verbo animi verecundiam forte desi-

in hujus editionis brevitate, effectum est ut a naturæ artiumque studiosis commodius, facilius, utiliusque, quam ante, legi possit. Bis millibus circiter locis emendatior proponitur; notæque super sex millia excrevere (*a*). Hac ætate, in qua sunt tot optimi libri, tot historiæ naturalis subsidia, facile cuivis erit ex nostris indiciis apud alios quærere, quæ fusius explicata desiderat.

Nostra autem studia, pro sua humanitate & egregia in literas voluntate, promovere Cll. Bejot & Desaunays, Regiæ bibliothecæ custodes; Cl. le Blond, qui e Mazarinæa editionem principem commodavit. Subsidio quoque fuere collationes Mss. codicum Belgicorum, factæ ab eruditis Carolo Langio, Canonico Leodiensi, & Lævino Torrentio, Episcopo Antuerpiensi; ut & notæ ab Illustrissimo Huetio in margine prioris Harduini editionis inscriptæ; &

derabis. Porro, quicquid de reliquis sit, nolim Cl. virum ullam vel minimam Pliniani textus *emendationem* nobis invidisse. ED. VEN.

(*a*) Paulo frigidius dictum hoc videtur. Talia enim non adnumerantur, sed appenduntur. Lectorem, ni fallimur, non pigebit hæc nos ad pauciora vel breviora sæpius redegisse. ED. V.

nonnullæ Plinianæ emendationes, quas in adversariis suis condiderat Dionysius Petavius, vir in omni eruditione summus.

Consultum volui eruditis viris, quibus ob immensam doctrinæ supellectilem continuo terendus est Plinius. Libri singuli divisi sunt sectionibus, quæ numeris Romanis sunt notatæ, & hæc est ipsa vetus Plinianaque divisio. Arabicis autem numeris distincta sunt capita: quæ recentior quidem est distinctio, retinenda tamen, quod plerique, cum Plinium laudant, eam sequantur. Licet magna sit utilitas in Pliniano indice, qui est totius operis liber primus, sua quoque erit, nec mediocris, in indice quem ad operis calcem subjunxi.

## *Selecta veterum & recentium de C. Plinio Secundo Testimonia.*

# C. PLINIUS CÆCILIUS.

(*Lib. III. Epist. V.*)

## *C. PLINIUS CÆCILIUS MACRO SUO S.*

PErgratum est mihi, quod tam diligenter libros avunculi mei lectitas, ut habere omnes velis, quærasque qui sint. Fungar indicis partibus, atque etiam, quo sint ordine scripti, notum tibi faciam. Est enim hæc quoque studiosis non injucunda cognitio. De jaculatione equestri, unus. Hunc, cum præfectus alæ militaret, pari ingenio curaque composuit. De vita [a] Pomponii Secundi duo, a quo singulariter amatus, hoc memoriæ amici, quasi debitum munus, exsolvit. Bellorum Germaniæ viginti, quibus omnia quæ cum Germanis gessimus bella, collegit. Inchoavit cum in Germania militaret, somnio monitus. Adstitit enim ei quiescenti Drusi Neronis effigies, qui Germaniæ latissime victor ibi periit. Commendabat memoriam suam, orabatque, ut se ab injuria oblivionis adsereret. Studiosi tres, in sex volumina propter amplitudinem divisi, quibus oratorem ab incunabulis instituit & perficit. Dubii sermonis octo scripsit sub Nerone novissimis annis, cum omne studiorum genus paulo liberius & erectius, periculosum servitus fecisset. A fine Aufidii Bassi, triginta unus. Naturæ historiarum triginta sep-

a) *Q. P.*

tem, opus diffusum, eruditum, nec minus varium, quam ipsa natura. Miraris, quod tot volumina, multaque in iis tam scrupulosa, homo occupatus absolverit? Magis miraberis, si scieris illum aliquandiu causas actitasse, decessisse anno sexto & quinquagesimo: medium tempus distentum impeditumque qua officiis maximis, qua amicitia principum egisse. Sed erat acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia. Lucubrare a Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi causa, sed studendi, statim a nocte multa: hieme vero ab hora septima, vel cum tardissime, octava, sæpe sexta. Erat sane somni paratissimi [a], nonnumquam etiam inter ipsa studia instantis, & deserentis. Ante lucem ibat ad Vespasianum imperatorem: nam ille quoque noctibus utebatur: inde ad delegatum sibi officium. Reversus domum, quod reliquum temporis, studiis reddebat. Post cibum sæpe, quem interdiu levem & facilem veterum more sumebat, æstate, si quid otii, jacebat in Sole: liber legebatur, adnotabat, excerpebatque. Nihil enim umquam legit, quod non excerperet. Dicere etiam solebat, nullum esse librum tam malum, ut non aliqua ex parte prodesset. Post Solem plerumque frigida lavabatur. Deinde gustabat, dormiebatque minimum. Mox quasi alio die, studebat in cenæ tempus. Super hanc liber legebatur, adnotabatur, & quidem cursim. Memini quemdam ex amicis, cum lector quædam pronuntiasset perperam, revocasse, & repeti coegisse, huic avunculum meum dixisse, Intellexeras nempe? cum ille annuisset, „ Cur ergo revocabas? decem amplius versus hac tua interpellatione perdimus *. Tanta erat parsimonia tem-

a) *parcissimi*. *) Hunc locum nec pulchre, nec recte vertit Cl. Tiraboschius ( V. Operis sup. laudati Tom. II. pag. 158. pr.). Ne mireris igitur, si ab interpretis officio tam valde illi animus abhorreat. ED. VEN.

poris. " Surgebat æstate a cœna luce, hieme inter primam noctis, & tamquam aliqua lege cogente. Hæc inter medios labores Urbisque fremitum. In secessu solum balinei tempus studiis eximebatur. Cum dico balinei, de interioribus loquor. Nam dum distringitur, tergiturque, audiebat aliquid aut dictabat. In itinere, quasi solutus ceteris curis, huic uni vacabat. Ad latus notarius cum libro & pugillaribus, cujus manus hieme manicis muniebantur, ut ne cæli quidem asperitas ullum studiis tempus eriperet. Qua ex causa Romæ quoque sella vehebatur. Repeto me correptum ab eo, cum ambularem: ,, Poteras, inquit, ,, has horas non perdere ". Perire enim omne tempus arbitrabatur, quod studiis non impertiretur. Hac intentione tot ista volumina peregit, electorumque commentarios centum sexaginta mihi reliquit, opistographos quidem, & minutissime scriptos: qua ratione multiplicatur hic numerus. Referebat ipse, potuisse se, cum procuraret in Hispania, vendere hos commentarios Lartio Licinio CCCC millibus nummûm, & tunc aliquanto pauciores erant. Nonne videtur tibi recordanti quantum legerit, quantum scripserit, nec in officiis ullis, nec in amicitia principum fuisse? Rursus cum audis quid studiis laboris impenderit, nec scripsisse satis, nec legisse? Quid est enim, quod non aut illæ occupationes impedire, aut hæc instantia non possit efficere! Itaque soleo ridere, cum me quidam studiosum vocant, qui si comparer illi, sum desidiosissimus. Ego autem tantum, quem partim publica, partim amicorum officia destringunt? Quis ex istis qui tota vita literis assident, collatus illi, non quasi somno & inertiæ deditus erubescat? Extendi epistolam, quamvis hoc solum, quod requirebas, scribere destinassem, quos scilicet libros reliquisset. Confido tamen hæc quoque tibi non minus grata, quam ipsos libros, futura, quæ te non tantum ad legen-

dos eos, verum etiam ad simile aliquid elaborandum, possunt æmulationis stimulis excitare. Vale.

## IDEM.

(*Lib. VI. Epist. XVI.*)

### *C. PLINIUS TACITO SUO S.*

Petis ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis. Gratias ago. Nam video morti ejus, si celebretur a te, immortalem gloriam esse propositam. Quamvis enim pulcherrimarum clade terrarum, ut populi, ut urbes, memorabili casu, quasi semper victurus occiderit, quamvis ipse plurima scripserit, plura tamen perpetuitati ejus scriptorum tuorum æternitas addet. Equidem beatos puto, quibus deorum munere datum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda: beatissimos vero, quibus utrumque. Horum in numero avunculus meus & suis libris & tuis erit. Quo libentius suspicio, deposco etiam, quod injungis. Erat Miseni, classemque imperio præsens regebat: Nono [a] Kalend. Septembres [b] hora fere septima, mater mea indicat ei apparere nubem inusitata & magnitudine, & specie. Surgit ille, ut e Sole solebat, frigida gustata: jacens enim studebat. Poposcit soleas, ascendit locum, ex quo maxime miraculum illud conspici poterat. Nubes incertum procul intuentibus ex quo monte (Vesuvium fuisse postea cognitum est) oriebatur: cujus similitudinem & formam non alia magis arbor, quam pinus, expresserit. Nam longissimo velut trunco efflata in altum, quibusdam ramis diffundebatur. Credo, quia recenti spiritu evecta, dein senescente eo destituta, aut etiam pondere suo

a) *Nono* abest. *Nonum* sph. ed. Brot. b) *Novemb.*

victa, in latitudinem vanescebat, candida interdum, sordida & maculosa, prout terram cineremve sustulerat. Magnum id, propiusque noscendum, ut eruditissimo viro visum est. Jubet liburnicam aptari: mihi, si venire una vellem, facit copiam. Respondi studere me malle: & forte ipse, quod scriberem dederat. Egrediebatur domo: accepit codicillos. Retinæ classiarii, imminente periculo exterriti, (nam villa ea subjacebat: nec ulla, nisi navibus, fuga:) ut se tanto discrimini eriperet, orabant. Vertit ille consilium, & quod studioso animo inchoaverat, obit maximo. Deduxit quadriremes, ascendit ipse, non Retinæ modo, sed multis (erat enim frequens amœnitas oræ) laturus auxilium: properat illuc, unde alii territi fugiunt, rectumque cursum, recta[a] gubernacula in periculum tenet: adeo solutus metu, ut omnes illius mali motus, omnes figuras ut deprehenderat oculis, dictaret, enotaretque. Jam navibus cinis incidebat[b], quo propius accederent[c], calidior & densior: jam pumices etiam, nigrique & ambusti & fracti igne lapides: jam vadum subitum, ruinaque montis litora obstantia. Cunctatus paulum, an retro flecteret, mox gubernatori ut ita faceret monenti, „ Fortes, inquit, fortuna juvat: Pomponianum pete “. Stabiis erat, diremptus sinu medio. Nam sensim circumactis curvatisque litoribus mare infunditur. Ibi quamquam nondum periculo appropinquante, conspicuo tamen, & cum cresceret, proximo, sarcinas contulerat in naves, certus fugæ, si contrarius ventus resedisset, quo tunc avunculus meus secundissimo invectus complectitur trepidantem, consolatur, hortatur; utque timorem ejus sua securitate leniret, deferri se in balineum jubet: lotus accubat, cenat, atque hilaris, aut, quod æque magnum est, similis hilari.

a) *rectaque*. b) *inciderat*. c) *accederet*.

Interim a Vesuvio monte pluribus locis latissimæ flammæ atque incendia relucebant, quorum fulgor & claritas tenebris noctis excitabatur [a]. Ille agrestium trepidatione ignes relictos, desertasque villas per solitudinem ardere, in remedium formidinis dictitabat. Tum se quieti dedit, & quievit verissimo quidem somno. Nam meatus animæ, qui illi propter amplitudinem corporis gravior & sonantior erat, ab iis, qui limini obversabantur [b], audiebatur. Sed area, ex qua diæta adibatur, ita jam cinere mixtisque pumicibus oppleta surrexerat, ut si longior cubiculo[c] mora esset, exitus negaretur. Excitatus procedit, seque Pomponiano, ceterisque qui pervigilarant, reddit. In commune consultant, intra tectane subsistant, an in aperto vagentur: nam crebris vastisque tremoribus tecta nutabant, & quasi emota sedibus suis, nunc huc, nunc illuc abire aut referri videbantur. Sub dio rursus, quamquam levium exesorumque pumicum casus metuebatur, quod tamen malorum collatio elegit; & apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor vicit. Cervicalia capitibus imposita linteis constringunt. Id munimentum adversus incidentia [d] fuit. Jam dies alibi, illic nox omnibus nigrior densiorque: quam tamen faces multæ variaque lumina solvebant. Placuit egredi in litus; & ex proximo adspicere ecquid [e] jam mare admitteret, quod adhuc vastum & adversum permanebat. Ibi super abjectum [f] linteum recubans sedit, atque iterum frigidam poposcit, hausitque. Deinde flammæ, flammarumque prænuntius odor sulphuris, alios in fugam vertunt: excitant illum, qui innixus servis duobus assurrexit & statim concidit (ut ego conjecto) crassiore caligine spiritu obstructo, clausoque stomacho, qui illi natura in-

a) *tenebras n. excipiebat*. b) *observabant*. c) *in c.*
d) *incendia*: alii *decidentia*. e) *quid*. f) *adjectum*, ut credo, mendose.

validus, & angustus, & frequenter interæstuans erat. Ubi dies redditus (is ab eo, quem novissime viderat, tertius) corpus inventum integrum, illæsum, opertumque ut fuerat indutus. Habitus corporis quiescenti, quam defuncto, similior. Interim Miseni ego & mater. Sed nihil ad historiam. Nec tu aliud, quam de exitu ejus, scire voluisti: finem ergo faciam. Unum adjiciam, omnia me, quibus interfueram, quæque statim, cum maxime vera memorantur, audieram, persecutum. Tu potissima excerpes. Aliud est enim epistolam, aliud historiam, aliud amico, aliud omnibus scribere. Vale.

## C. PLINII VITA

### Ex Suetonii, ut vulgo creditur,

### *LIBRO DE VIRIS ILLUSTRIBUS.*

*Juxta Mss. Reg.*

Plinius Secundus, *Novocomensis*, equestribus militiis industrie functus, procurationes quoque splendidissimas atque continuas, summa integritate administravit; & tamen liberalibus studiis tantam operam dedit, ut non temere quis plura in otio scripserit. Itaque bella omnia, quæ umquam cum Germanis gesta sunt, viginti voluminibus comprehendit. Item Naturalis Historiæ triginta septem libros absolvit. Periit clade Campaniæ. Nam cum Misenensi classi præesset [a], flagrante Vesuvio, ad explorandas propius causas, liburnicas prætendisset; neque, adversantibus ventis, remeare posset, vi pulveris ac favillæ oppressus est: vel, ut quidam existimant, a servo suo occisus, quem, deficiens æstu, ut necem sibi maturaret, oraverat *. Hic in his libris viginti millia rerum dignarum *cura* ex lectione voluminum circiter duum

a) *p. & fl.* *) Cetera desunt in Ed. Hard.

millium complexus est. Primus autem liber, qui index XXXVI librorum sequentium, consummationem totius operis & species continet titulorum.

Altera Plinii Vita prodiit primum Brixiæ anno M. CCCC. XCVI. incerto auctore, & recente; qui Plinium patre Celere, matre Marcella natum commentus est.

## AULUS GELLIUS.

*Noctes Atticæ, Lib. IX. Cap. IV.*

Libitum tamen est in loco hoc miraculorum notare id etiam, quod Plinius Secundus, vir in temporibus ætatis suæ, ingenii dignitatisque gratia, auctoritate magna præditus, non audisse, neque legisse, sed scire sese atque vidisse in libro Naturalis Historiæ septimo scripsit &c. *Sectione tertia scilicet.*

*Ibid. cap. XVI.*

Plinius Secundus existimatus est [a] ætatis suæ doctissimus. Is libros reliquit, quos Studiosorum inscripsit; haud medius fidius usquequaque aspernandos. In iis [b] libris multa varie ad oblectandas eruditorum hominum aures ponit: refert etiam plerasque sententias, quas, in declinandis [c] controversiis, lepide arguteque dictas putat.

## D. HYERONIMUS.

*In Isaiam, Lib. XV, cap. LIV.*

Plinium Secundum eumdem apud Latinos oratorem & philosophum, qui in opere pulcherrimo Naturalis Historiæ tricesimum septimum librum, qui & extremus est, lapidum atque gemmarum disputatione complevit.

*In Ezechielem, Lib. IX, cap. XXVIII.*

Liber Plinii Secundi Naturalis Historiæ post

a) *est esse.* b) *his.* c) *declarandis.* Mendosa videtur lectio Broteriana.

multiplicem rerum omnium scientiam de gemmis & lapidibus disputat.

## D. AURELIUS AUGUSTINUS.

*De Civitate Dei, Lib. XV, cap. IX.*

Plinius Secundus, doctissimus homo, quanto magis magisque præterit sæculi excursus, minora corpora naturam ferre testatur. *Libro septimo, sectione decima sexta.*

## ALCUINUS.

*Epist. V. ad David regem, hoc est, ad Carolum Magnum.*

Quid acutius, quam quod naturalium rerum devotissimus inventor Plinius Secundus de cælestium siderum ratione exposuit, investigari valet?

## BEDA,

*Libro de ratione temporum, Cap. XXVIII.* (*)

Plinius Secundus, idem Orator & Philosophus, in libro secundo Naturalis Historiæ: *Sol autem*, inquit, *ipse quatuor differentias habet*, &c.

## PETRUS QUIQUERANUS(*).

*De Laudibus Provinciæ, Lib. I.*

C. Solinus laborum suorum jactura, otioque suo jam olim abusus, nobis aliisque, quibus C. Plinii copia est, importunus illudit. Nec id unum, cum Plinium quoque, per quem totus profecit, ne nominis quidem mentione dignetur: &c. *Et mox paucis interjectis*: Hic deprehendere est quorumdam medicorum procacitatem, qui tabifico livore pertacti, C. Pliniique majestatem sugillare aggressi, (libet enim viri manibus de mortalium republica bene meriti paucula hæc verba dare: Dioscoridis aucto-

(*) Hæc Bedæ & Quiquerani testimonia desunt in Editione Barbou. ED. VEN.

auctoritatem, velut Pythagorici suum αὐτὸς ἔφη, nude obtendunt: ut interim non ignotum docto æstimatori ſit, unum ex eorum numero præstantissimum Leonicenum, arguente Nemesi dea, sub finem libri sui testatum, lites illas suas furore animi (quod facile fidem facit) se suscitasse. Nam nisi C. Plinium lippitudine laborasse, ut pleraque alia, mentiantur, vel cæco fit manifestum, illum non paullo tranquillius, atque exin diligentius stirpium lineamenta despexisse, moxque fidelius nomina prodidisse, adjuvante in ea opera Antonio Castore, viro in eo prudentiæ genere summo, quam Anazarbeum istum vagum, turbidum, merentem hinc inde stipendia &c. *Iterumque post pauca*: Nec desunt, qui Grammaticum vocitent, rhetorem alii, hi historicum: omnia non citra imperitiam, multo livore, majore impudentia, & quod mirere, cuncta vere. Nam & in Grammatica lex ipsa, oratione inimitabilis: in omnifaria historia, rude donatus. De Mathematicis vero judicium an quiquam ei viro denegabit, tam multa arduaque tam brevibus comprehendenti?... Jam quivis modo non medicellus non abstulerit stirpium cognitionem accuratam, quarum figuram tanto otio, tam rara tranquillitate, tanto sub judice rimari licuerit? Magna hic medicinæ fundamenta. Ceterum quæ ad ejusdem perfectiorem curam faciunt, si non intolerabili ægrotantium pædore usque perferendo addidicit: at e probatioribus, certioribusque medicorum veterum monumentis excerpsit, additis insuper, si quæ postea probata sciret experimentis, ne non etiam candore commendetur. De metallica hic Romanorum solus. De agricultura nescio quid mirere magis, adeo in tanta brevitate nihil omissum. Porro in Cosmographia, animalibus, rerum miraculis, ut nihil ornatius, luculentius, beatius, ita & venia dignissima sunt, ſi quæ ex hujusce æta-

tis navigationum certissima fide secus in iis prodita deprehendantur. Qua in re mihi sane in fidem ejurare certum est: nam cur credulitatem meam obstrinxerim, cum suam ille tradendo non obstringat? cum fidem in auctores releget? famæque velut famam suam impingat? In summa, ea est viri auctoritas, ut a doctioribus concuti potuerit, convelli nusquam: ea majestas, ut quam decentissimum foret, non citra acerbissima flagra ab hujusmodi nebulonum genere subpungi: ea denique in omni doctrinarum cumulo eminentia, ut multo minore cum risu hunc audias artes omnes a Minerva edoctum, quam Ciceronem. Quare impudenter omnino tentata C. Plinii amplitudo ab eo hominum grege, qui nec viventis splendorem probe tulissent oculis, &c.

## HERMOLAUS BARBARUS.

*In Epistola ad Picum Mirandulæ Comitem.*

Non sumus omnino superis odiosi, quando superstes est Plinius. Sustentat ille nos utcumque mutilus, decurtatus, lacer. Nisi exstaret, actum esset, tunderemus aquam omnes: si eadem, quæ ceteros, ademisset eum nobis calamitas, profligata spes omnis esset Latinæ rei constituendæ. Nunc eo duce, quanquam semianimi & exsangui, vivimus: & nisi ipse mihi blandior, videtur in dies proficere, habetur in manibus, celebratur, colitur. Censetur indoctus, qui Plinium non legit: indoctior, qui lectum contemnit: indoctissimus, cui non sapit. Debet ætati nostræ plus, quam suæ Plinius: sed nos ei magis, qui per illum maxime subsistimus. Alii rem Latinam juverunt, ille ipse nobis est Latium*.

*) Consulto omittimus quæ ex quodam Cornelio Aurelio Goudano, Erasmi præceptore, Broterius affert; quandoquidem ad hæc sollemnia Barbari verba plane redeunt. ED. VEN.

## JUSTUS LIPSIUS.

Plinii libros, qui Pandectas appellarit, me judice, haud erraverit. Omnia ille vir legit, vidit, scivit; & in unum volumen Græciam & Latium conclusit.

## NICOLAUS REUSNERUS

*AD JAN. GRUTERUM,*

Deliciarum Poetarum Germ. Tom. V, p. 787.

*Omnibus est innatus amor quamplurima nosse,*
*Fons hic inexhaustis uber inundat aquis.*
*Pro multis unus dat Plinius omnia nosse,*
*Quæ cœlum, & terras, & mare, Iane, tenent.*
*Si legis hunc, Græcos legis omnes atque Latinos.*
*Nec tibi justa deest Bibliotheca domi.*
*Unus Grammaticus, Logicus, Geometra, Poeta;*
*Musicus, Astronomus, Rhetor, Arithmeticus.*
*Unus & Historicus, Physicus, Cosmographus unus*
*Pictor, & agrorum cultor hic unus erit.*
*Quid multis? unus docet omnia: & ut tegit omnes*
*Cœlum, sic cœlum continet iste liber* *.

## PETRUS-JOANNES MARIETTE.

*Traité des Pierres gravées*, Tome I, p. 195.

Quand on examine avec attention ce que Pline a dit sur la maniere de graver sur les Pierres Précieuses, on demeure pleinement convaincu que les Anciens n'ont point connu d'autre méthode que celle qui se pratique aujourd'hui. Ils ont dû se servir comme nous du Touret, & de ces outils d'acier ou de cuivre, qu'on nomme Scies ou Bouterolles; & dans l'occasion ils ont pareillement employé la pointe du Diamant. Le témoignage de Pline, XXXVII, 4 est formel. Je ne

*) Hoc epigramma mutuati sumus ex Berolinensi Plinii editione, quam curavit Jo. Petrus Millerus 1766 5 voll. 8vo. ED. VEN.

vois dans ses expreſſions rien d'équivoque. Voici comme s'explique sur cette matiere cet Auteur, dont on admire l'exactitude & le profond sçavoir, à mesure que l'on fait des progrès dans l'intelligence de ses écrits.

## GEORGIUS LUDOVICUS BUFFONIUS.

*Discours premier de l'Histoire naturelle.*

Pline a travaillé sur un plan bien plus grand (*que celui d'Aristote*), & peut-être trop vaste; il a voulu tout embrasser, & il semble avoir mesuré la Nature & l'avoir trouvée trop petite encore pour l'étendue de son esprit. Son Histoire naturelle comprend, indépendamment de l'Histoire des animaux, des plantes & des minéraux, l'Histoire du Ciel & de la Terre, la Médecine, le Commerce, la Navigation, l'Histoire des Arts libéraux & mécaniques, l'origine des Usages, enfin toutes les Sciences naturelles & tous les Arts humains: & ce qu'il y a d'étonnant, c'est que dans chaque partie Pline est également grand: l'élévation des idées, la noblesse du style relèvent encore sa profonde érudition; non seulement il savoit tout ce qu'on pouvoit savoir de son tems, mais il avoit cette facilité de penser en grand qui multiplie la science; il avoit cette finesse de réflexion, de laquelle dépend l'élégance & le goût, & il communique à ses lecteurs une certaine liberté d'esprit, une hardiesse de penser qui est le germe de la Philosophie. Son ouvrage, tout aussi varié que la Nature, la peint toujours en beau; c'est, si l'on veut, une compilation de tout ce qui avoit été écrit avant lui, une copie de tout ce qui avoit été fait d'excellent & d'utile à savoir; mais cette copie a de si grands traits, cette compilation contient des choses rassemblées d'une maniere si neuve, qu'elle est préférable à la plûpart des Ouvrages originaux qui traitent des mêmes matieres.

# C. PLINII SECUNDI
# NATURALIS HISTORIÆ
## *LIBER I.*

## C. PLINIUS SECUNDUS
### *T.*[a] *VESPASIANO SUO S.*

Libros Naturalis Historiæ, novitium Camenis Quiritium tuorum opus, natum[b] apud me proxima fetura, licentiore epistola narrare constitui tibi, jucundissime Imperator: sit enim hæc tui præfatio verissima, dum maximo consenescit in patre:

*Namque tu solebas*
*Meas esse aliquid putare nugas*,

ut objicere moliar Catullum conterraneum meum. Agnoscis & hoc castrense verbum. Ille enim, ut

a) *T.* abest in Ed. Hard. b) *natos* Cod. Lond.

scis, permutatis prioribus sætabis, duriusculum se fecit, quoniam[a] volebat æstimari ea a Veraniolis suis & Fabullis. Simul ut[b] mea petulantia fiat, quod proxime non fieri questus es in alia procaci epistola nostra, ut in quædam acta exeant, sciantque omnes quam ex æquo tecum vivat imperium. Triumphalis & Censorius tu, sexiesque Consul, ac Tribuniciæ potestatis particeps: & quod his nobilius fecisti, dum illud patri pariter, & equestri ordini præstas, Præfectus prætorii[c] ejus: omniaque hæc Reipublicæ; & nobis quidem, qualis in castrensi contubernio. Nec quidquam in te mutavit fortunæ amplitudo, nisi ut prodesse tantumdem posses, ut velles. Itaque cum ceteris in venerationem tui pateant omnia illa, nobis ad colendum te familiarius audacia sola superest. Hanc igitur tibi imputabis, & in nostra culpa tibi ignosces. Perfricui faciem, nec tamen profeci: quoniam alia via occurris ingens, & longius etiam submoves ingenii fascibus. Fulgurat in nullo umquam verius dicta vis eloquentiæ, Tribuniciæ potestatis facundia. Quanto tu ore patris laudes tonas? quanto fratris amas? quantus in poetica es? O magna fecunditas animi! quemadmodum fratrem quoque imitareris, excogitasti. Sed hæc quis possit intrepidus æstimare, subiturus

a) *quæ* Cod. Lond. & mox abest *ea*. b) *ut hac m.* Ed. Hard. c) *prætorio* Ed. Hard.

ingenii tui judicium, præsertim lacessitum? Neque enim similis est conditio publicantium, & nominatim tibi dicantium. Tum possem dicere, quid ista legis, Imperator? Humili vulgo scripta sunt, agricolarum, opificum turbæ, denique studiorum otiosis: quid te judicem facis? Cum hanc operam condicerem, non eras in hoc albo. Majorem te sciebam, quam ut descensurum huc putarem. Præterea est quædam publica etiam eruditorum rejectio. Utitur illa & M. Tullius, extra omnem ingenii aleam positus, & (quod miremur) per advocatum defenditur.

*Nec doctissimis:*
*Manium Persium hæc legere nolo, Junium*
*Congum volo.*

Quod si hoc Lucilius, qui primus condidit stili nasum, dicendum sibi putavit: si Cicero mutuandum, præsertim cum de Republica scriberet: quanto nos causatius ab aliquo judice defendimus[a]? Sed hæc ego mihi nunc patrocinia ademi nuncupatione: quoniam plurimum refert, sortiatur aliquis judicem, an eligat: multumque apparatus interest apud invitatum hospitem, & oblatum. Cum apud Catonem illum ambitus hostem, & repulsis tamquam honoribus ineptis[b] gaudentem, flagrantibus comitiis pecunias de-

a) Vel *defendimur* exhibent Codd. editique præstantiores.
b) *inemptis* Cod. Lond.

ponerent candidati, hoc se facere pro innocentia (quod in rebus humanis summum esset) profitebantur. Inde illa nobilis M. Ciceronis suspiratio: *O te felicem, M. Porci, a quo rem improbam petere nemo audet!* Cum Tribunos appellaret L. Scipio Asiaticus, inter quos erat Gracchus, hoc adtestabatur, vel inimico judici se probari posse. Adeo summum quisque causæ suæ judicem facit quemcumque, cum eligit, unde provocatio appellatur. Te quidem in excelsissimo humani generis fastigio positum, summa eloquentia, summa eruditione præditum, religiose adiri etiam a salutantibus scio. Et ideo subit cura, ut quæ tibi dicantur, te digna sint. Verum & diis lacte rustici multæque gentes supplicant, & mola tantum salsa litant, qui non habent thura: nec ulli fuit vitio deos colere quoquo modo posset. Meæ quidem temeritati accessit hoc quoque, quod levioris operæ hos tibi dedicavi libellos. Nam nec ingenii sunt capaces, quod alioquin nobis perquam mediocre erat: nec admittunt excessus aut orationes, sermonesve, aut casus mirabiles, vel eventus varios, non[a] alia jucunda dictu, aut legentibus blanda, sterili materia. Rerum natura, hoc est, vita narratur, & hæc sordidissima sui parte, ut plurimarum rerum aut rusticis voca-

a) *nec* Cod. Lond.

buiis aut externis, immo barbaris, etiam cum honoris præfatione ponendis. Præterea iter est, non trita auctoribus via, nec qua peregrinari animus expetat. Nemo apud nos, qui idem tentaverit; nemo apud Græcos qui unus omnia ea tractaverit. Magna pars studiorum amœnitates quærimus. Quæ vero tractata ab aliis dicuntur immensæ subtilitatis, obscuris rerum tenebris premuntur. Jam omnia attingenda, quæ Græci τὴς ἐγκυκλοπαιδείας vocant, & tamen ignota, aut incerta ingeniis facta. Alia vero ita multis prodita, ut in fastidium sint adducta. Res ardua, vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, & naturæ suæ omnia. Itaque etiam non assecutis, voluisse, abunde pulcrum atque magnificum est. Equidem ita sentio, peculiarem in studiis causam eorum esse, qui difficultatibus victis, utilitatem juvandi prætulerunt gratiæ placendi: idque jam & in aliis operibus ipse feci: & profiteor mirari me T. Livium, auctorem celeberrimum, in historiarum suarum, quas repetit ab origine Urbis, quodam volumine sic orsum: Satis jam sibi gloriæ quæsitum: & potuisse se desinere, ni animus inquies pasceretur opere. Profecto enim populi gentium victoris, & Romani nominis gloriæ, non suæ composuisse illa decuit. Majus meritum esset, operis amore,

non animi causa perseverasse; & hoc populo Romano præstitisse, non sibi. Viginti millia rerum dignarum cura, (quoniam, ut ait Domitius Piso, thesauros oportet esse, non libros) ex lectione voluminum circiter duum millium, quorum pauca admodum studiosi attingunt, propter secretum materiæ, ex * exquisitis auctoribus centum, inclusimus triginta sex voluminibus, adjectis [a] rebus plurimis, quas aut ignoraverant priores, aut postea invenerat vita. Nec dubitamus, multa esse, quæ & nos præterierint. Homines enim sumus & occupati officiis: subcisivisque temporibus ista curamus, id est, nocturnis, ne quis vestrum putet his cessatum horis. Dies vobis impendimus: cum somno valetudinem computamus: vel hoc solo præmio contenti, quod dum ista (ut ait M. Varro) musinamur, pluribus horis vivimus. Profecto enim vita vigilia est. Quibus de causis atque difficultatibus nihil auso promittere, hoc ipsum tu præstas, quod ad te scribimus. Nec fiducia operis hæc est, sed indicatura. Multa valde pretiosa ideo videntur, quia sunt templis dicata. Nos quidem omnes, patrem, te, fratremque diximus opere justo, temporum nostrorum historiam orsi a fine Aufidii Bassi. Ubi sit ea quæres? jam pridem peracta sancitur [b]: & alioquin statutum erat

*) *ex* male abest Ed. Brot. a) *abjectis* Ed. Hard.
b) *sarcitur* Ed. Hard.

heredi mandare, ne quid ambitioni dedisse vita judicaretur. Proinde occupantibus locum faveo: ego vero & posteris, quos scio nobiscum decertaturos, sicut ipsi fecimus cum prioribus. Argumentum hujus stomachi mei habebis, quod in his voluminibus auctorum nomina prætexui. Est enim benignum (ut arbitror) & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris; non ut plerique ex iis, quos attigi, fecerunt. Scito enim conferentem auctores me deprehendisse a juratissimis & proximis veteres transcriptos ad verbum, neque nominatos: non illa Virgiliana virtute, ut certarent; non Ciceroniana simplicitate, qui in libris * de Republica, Platonis se comitem profitetur: in Consolatione filiæ, Crantorem, inquit, sequor: item Panætium de Officiis: quæ volumina ejus ediscenda, non modo in manibus quotidie habenda, nosti. Obnoxii profecto animi, & infelicis ingenii est, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, cum præsertim sors fiat ex usura. Inscriptionis apud Græcos mira felicitas: κηρίον inscripsere, quod volebant intelligi favum: alii κέρας ἀμαλθείας, quod Copiæ cornu; ut vel lactis gallinacei sperare possis in volumine haustum. Jam[a] Ἴα, Μοῦσαι, πανδέκται, ἐγχειρίδιον, λειμῶν, πίναξ, σχέδιον, inscriptiones, propter quas vadimo-

*) *libros* sphalma Ed. Brot. a) *Jam Musæ* Ed. Hard.

nium deseri possit. At cum intraveris, dii deæque, quam nihil in medio invenies! Nostri crassiores, Antiquitatum, Exemplorum, Artiumque. Facetissimi Lucubrationem puto[a], ut qui Bibaculus erat & vocabatur. Paulo minus adserit[b] Varro in Satyris suis Sesculyssem, & Flextabula. Apud Græcos desiit nugari Diodorus, & βιβλιοθήκης historiam suam inscripsit. Apion quidem grammaticus, hic quem Tiberius Cæsar cymbalum mundi vocabat, cum publicæ famæ tympanum potius videri posset, immortalitate donari a se scripsit, ad quos aliqua componebat. Me non pœnitet nullum festiviorem excogitasse titulum. Et ne in totum videar Græcos insectari, ex illis nos[c] velim intelligi pingendi fingendique conditoribus, quos in libellis his invenies, absoluta opera, & illa quoque quæ mirando non satiamur, pendenti titulo inscripsisse: ut Apelles faciebat, aut Polycletus: tamquam inchoata semper arte & imperfecta: ut contra judiciorum varietates superesset artifici regressus ad veniam, velut emendaturo quidquid desideraretur, si non esset interceptus. Quare plenum verecundiæ illud est, quod omnia opera tamquam novissima inscripsere, & tamquam singulis fato adempti. Tria non amplius, ut opinor, absolute traduntur inscripta, Ille

a) *puto* abest Ed. Hard. b) *serio* Ed. Hard. c) *mox* Cod. Lond.

FECIT, quæ suis locis reddam: quo apparuit, summam artis securitatem auctori placuisse, & ob id magna invidia fuere omnia ea. Ego plane meis adjici posse multa confiteor; nec his solis, sed & omnibus quæ edidi: ut ob id [a] caveam istos Homeromastigas. Ita enim verius dixerim, quoniam audio & Stoicos, & dialecticos, Epicureos quoque (nam de grammaticis semper exspectavi) parturire adversus libellos, quos de Grammatica edidi, & subinde abortus facere jam decem annis, cum celerius etiam elephanti pariant. Ceu vero nesciam, adversus Theophrastum hominem in eloquentia tantum, ut nomen divinum inde invenerit, scripsisse etiam feminam, & proverbium inde natum, suspendio arborem eligendi. Non queo mihi temperare, quominus ad hoc pertinentia ipsa Censorii Catonis verba ponam: ut inde appareat, etiam Catoni de militari disciplina commentanti, qui sub Africano, immo vero & sub Annibale didicisset militare, & ne Africanum quidem ferre potuisset, qui Imperator triumphum reportasset, paratos fuisse istos, qui obtrectatione alienæ scientiæ famam sibi aucupantur. Quid enim ait in eo volumine? *Scio ego quæ scripta sunt, si palam proferantur, multos fore qui vitilitigent: sed ii potissimum, qui veræ laudis ex-*

a) *obiter* Cod. Londin.

*pertes sunt. Eorum ego orationes sino præterfluere.* Nec Plancus illepide, cum diceretur Asinius Pollio orationes in eum parare, quæ ab ipso aut liberis post mortem Planci ederentur, ne respondere posset: *Cum mortuis non nisi larvas luctari*. Quo dicto sic repercussit illas, ut apud eruditos nihil impudentius judicetur. Ergo securi etiam contra vitilitigatores, quos Cato eleganter ex vitiis & litigatoribus composuit (quid enim illi aliud quam litigant aut litem quærunt?) exsequemur reliqua propositi. Quia occupationibus tuis publico bono parcendum erat, quid singulis contineretur [a] libris, huic epistolæ subjunxi: summaque cura, ne legendos [b] eos haberes, operam dedi. Tu per hoc & aliis præstabis, ne perlegant: sed ut quisque desideraverit aliquid, id tantum quærat, & sciat quo loco inveniat. Hoc ante me fecit in literis nostris Valerius Soranus, in libris quos ἐποπτίδων inscripsit.

a) *contineatur* Ed. Hard. b) *perlegendos* Ed. Hard.

# C. PLINII SECUNDI

# HISTORIARUM MUNDI

## ELENCHOS.

*LIBRO II. continetur de Mundo & Elementis.*

SECT. I. AN finitus sit[a] mundus, & an unus.
II. De forma ejus.
III. De motu. Cur mundus dicatur.
IV. De elementis, & planetis.
V. De deo.
VI. De siderum errantium natura[b].
VII. De Lunæ & Solis defectibus.
VIII. De magnitudine siderum.
IX. Quæ quis invenerit in observatione cælesti.
X. Quando recurrant Solis ac[c] Lunæ defectus.
XI. De Lunæ motu.
XII. Errantium motus, & luminum canonica.
XIII. Quare eadem altiora, alias propiora videantur.

a) *sit* abest. b) *De s.* (absque *e.*) *n.* De planetarum motu. c) *&*.

XIV. Cur motus diſſimiles eadem habeant.
XV. Catholica ſiderum errantium[a].
XVI. Quæ ratio colores eorum mutet.
XVII. Solis motus, & dierum inæqualitatis ratio.
XVIII. Quare fulmina Jovi adſignentur.
XIX. Intervalla ſiderum.
XX. De ſideribus, Muſica.
XXI. De mundo, Geometrica.
XXII. De repentinis ſideribus, ſeu cometis.
XXIII. Natura, & ſitus, & genera eorum.
XXIV. Hipparchea, de ſideribus.
XXV. De cæleſtibus prodigiis, per exempla hiſtorica. Faces, lampades, bolides.
XXVI. Trabes cæleſtes, chaſma cæli.
XXVII. De cæli coloribus, & flamma cæleſti.
XXVIII. De coronis cæleſtibus.
XXIX. De circulis repentinis.
XXX. Solis defectus longiores.
XXXI. Plures Soles.
XXXII. Plures Lunæ.
XXXIII. Dierum lux noctibus.
XXXIV. Clypei ardentes.
XXXV. Oſtentum cæli ſemel notatum.
XXXVI. De diſcurſu ſtellarum.
XXXVII. De ſtellis[b] quæ Caſtores vocantur.

a) *errantium* abeſt. b) *De ſt. quæ in terris marique exiſtunt*.

XXXVIII. De aere; & quare lapidibus pluat[a].
XXXIX. De statis tempestatibus.
XL. De Caniculæ ortu.
XLI. Vis temporum anni stata.
XLII. De incertis tempestatibus[b].
XLIII. De tonitribus & fulgetris.
XLIV. Ventorum origo.
XLV. Ventorum observationes diversæ.
XLVI. Ventorum genera.
XLVII. *Ventorum tempora.*
XLVIII. Naturæ ventorum.
XLIX. Ecnephias & Typhon.
L. Turbines, præsteres[c], vortices, & alia prodigiosa genera tempestatum.
LI. De fulminibus: quibus in terris non cadant, & quare.
LII. Genera fulgurum, & miracula.
LIII. Etrusca observatio in his, & Romana.
LIV. De fulminibus evocandis.
LV. Catholica fulgurum.
LVI. Quæ numquam feriantur.
LVII. Lacte pluisse, sanguine, carne, ferro, lana, lateribus coctis.
LVIII. Armorum crepitum, & tubæ sonitum de cælo auditum.

a) *& q. l. p.* desunt. b) *De i. t. & imbribus, & quare lapidibus pluat.* c) *presteres.*

LIX. De lapidibus cælo cadentibus. Anaxagorea de his.
LX. Arcus cælestis.
LXI. Natura grandinis, nivis, pruinæ, nebulæ, roris: nubium imagines[a].
LXII. Proprietates cæli in locis.
LXIII. Natura terræ.
LXIV. De forma ejus.
LXV. An sint Antipodes.
LXVI. Quomodo aqua terræ innexa. De navigatione maris & fluminum[b].
LXVII. An circumdatus terræ Oceanus.
LXVIII. Quæ portio terræ habitetur.
LXIX. Mediam esse mundi terram.
LXX. De obliquitate Zonarum.
LXXI. De inæqualitate climatum.
LXXII. Ubi eclipses non appareant, & quare.
LXXIII. Quæ ratio diurnæ lucis in terris.
LXXIV. Gnomonica[c] de eadem re.
LXXV. Ubi, & quando nullæ umbræ.
LXXVI. Ut bis anno: ubi in contrarium umbræ ferantur.
LXXVII. Ubi longissimi dies, ubi brevissimi.
LXXVIII. De primo horologio.
LXXIX. Quomodo observentur dies.

a) *roris n.* & abest *imagines*. b) *De n. m. e. f.* desunt.
c) *Canonica*.

LXXX. Differentia gentium ad rationem mundi.
LXXXI. De terræ motibus.
LXXXII. De terræ hiatibus.
LXXXIII. Signa motus futuri.
LXXXIV. Auxilia contra motus futuros.
LXXXV. Portenta terrarum semel tradita.
LXXXVI. Miracula terræ motus.
LXXXVII. Quibus locis maria recesserint.
LXXXVIII. Insularum enascentium ratio.
LXXXIX. Quæ & quibus temporibus enatæ sint.
XC. Quas terras interruperint maria.
XCI. Quæ insulæ continenti adjunctæ sint.
XCII. Quæ terræ in totum mari permutatæ.
XCIII. Quæ terræ ipsæ se sorbuerint.[a]
XCIV. Urbes haustæ mari.
XCV. De spiraculis terrarum.
XCVI. De terris semper trementibus: & de fluctuantibus insulis.
XCVII. Quibus locis non impluat.
XCVIII. Acervata terrarum miracula.
XCIX. Qua ratione æstus maris accedant & recedant.
C. Ubi æstus extra rationem idem faciant.
CI. Miracula maris.
CII. Quæ potentia Lunæ ad terrena, & maria.
CIII. Quæ Solis.


a) *sorbuerunt* Ed. Hard.

CIV. Quare salsum mare.
CV. Ubi altissimum mare.
CVI. Mirabilia fontium & fluminum.
CVII. Ignium & aquarum juncta miracula.
CVIII. De maltha.
CIX. De naphtha.
CX. Quæ loca semper ardeant.
CXI. Ignium per se miracula.
CXII. Terræ universæ mensura.
CXIII. Harmonica mundi ratio.

Summa. Res, & historiæ, & observationes CCCCXVII.

Ex Auctoribus:

M. Varrone, Sulpicio Gallo, Tito Cæsare Imperatore, Q. Tuberone, Tullio Tirone, L. Pisone, T. Livio, Corn. Nepote, Statio Seboso, Cælio Antipatro, Fabiano, Antiate, Muciano, Cecina qui de Etrusca disciplina scripsit, Tarquitio qui item, Julio Aquila qui item, Sergio Paulo.

Externis:

Platone, Hipparcho, Timæo, Sosigene, Petosiri, Necepso, Pythagoricis, Posidonio, Anaximandro, Epigene Gnomonico, Euclide, Cœrano Philosopho, Eudoxo, Democrito, Critodemo, Thrasyllo,

lo, Serapione, Dicæarcho, Archimede, Onesicrito, Eratosthene, Pythea, Herodoto, Aristotele, Cteſia, Artemidoro Epheſio, Iſidoro Characeno, Theopompo.

*LIBRO III. continentur ſitus, gentes, maria, oppida, portus, montes, flumina, menſuræ, populi qui ſunt aut fuerunt.*

I. EUROPÆ *in univerſum fines ac ſinus*[a] *præmittuntur.*
II. *Tum Hiſpaniæ totius.*
III. Bæticæ.
IV. Hiſpaniæ citerioris.
V. Narbonenſis provinciæ.
VI. Italiæ.
VII. *Nona Italiæ regio.*
VIII. *Septima Italiæ regio.*
IX. *Prima Italiæ regio.* Tiberis, Roma.
X. *Tertia Italiæ regio.*
XI. Inſularum LXIV. In his, Balearium:
XII. Corſicæ.
XIII. Sardiniæ.
XIV. Siciliæ.
XV. *Magna Græcia.* A Locris.
XVI. *Secunda Italiæ regio.*

a) *ſitus.*

XVII. *Quarta Italiæ regio.*
XVIII. *Quinta Italiæ regio*.*
XIX. *Sexta Italiæ regio.*
XX. *Octava Italiæ regio:* De Pado.
XXI. *Undecima Italiæ regio:* Italia trans-Padum.
XXII. *Decima Italiæ regio.*
XXIII. Istriæ ſitus & populi.
XXIV. Alpium, & gentium Alpinarum.
XXV. Liburniæ, & Illyrici.
XXVI. Dalmatiæ.
XXVII. Noricorum.
XXVIII. Pannoniæ.
XXIX. Mœsiæ.
XXX. Insularum Ionii & Adriatici maris.

Summa: Oppida & gentes,
Flumina clara,
Montes clari,
Inſulæ,
Quæ intercidere oppida aut gentes.

*Deest numerus in omnibus MSS.*

Res, & hiſtoriæ, & obſervationes CCCXXVI.

Ex Auctoribus:

Turannio Gracile, Corn. Nepote, T. Livio, Catone Cenſorio, M. Agrippa, M. Varrone, Divo Auguſto, Varrone Atacino, Antiate, Hygi-

* Hic verſus deficit typothetæ oſcitantia in Edit. Brot.

no, L. Vetere, Mela Pomponio, Curione patre, Cælio, Arruntio, Seboso, Licinio Muciano, Fabricio Tusco, L. Atteio Capitone, Verrio Flacco, L. Piſone, Gelliano, Valeriano.

EXTERNIS:

Artemidoro, Alexandro Polyhiſtore, Thucydide, Theophraſto, Iſidoro, Theopompo, Metrodoro Sceψio, Callicrate, Xenophonte Lampſaceno, Diodoro Syracuſano, Nymphodoro[a], Calliphane, Timagene.

*LIBRO IV. continentur ſitus, gentes, maria, oppida, portus, montes, flumina, menſuræ, populi qui ſunt aut fuerunt.*

I. EPIRI.
II. *Acarnaniæ.*
III. *Ætoliæ.*
IV. *Locridis, & Phocidis.*
V. *Peloponneſi.*
VI. Achaiæ.
VII. *Meſſeniæ.*
VIII. *Laconiæ.*
IX. *Argolidis.*

a) N. deeſt.

X. *Arcadiæ.*
XI. Atticæ.
XII. *Bœotiæ.*
XIII. *Doridis.*
XIV. *Phthiotidis.*
XV. Thessaliæ.
XVI. Magnesiæ.
XVII. Macedoniæ.
XVIII. Thraciæ. *Ægæi maris.*
XIX. Insularum ante eas terras: inter quas,
XX. Cretæ.
XXI. Eubœæ.
XXII. Cycladum.
XXIII. Sporadum.
XXIV. Hellesponti, Mæotidis.
XXV. Daciæ, Sarmatiæ.
XXVI. Scythiæ.
XXVII. Insularum Ponti: *Insularum Oceani Septemtrionalis.*
XXVIII. Germaniæ.
XXIX. Insularum [a] in Gallico Oceano XCVI, quas inter,
XXX. Britanniæ.
XXXI. Belgicæ Galliæ.
XXXII. Lugdunensis Galliæ.
XXXIII. *Aquitanicæ Galliæ.*

a) *Inſulæ.*

XXXIV. Citerioris Hispaniæ, ab Oceano Gallico.
XXXV. Lusitaniæ.
XXXVI. Insularum in mari Atlantico.
XXXVII. Universæ Europæ mensura.

Summa: Oppida, & gentes,
Flumina clara, *Numerus deest in*
Montium clari, *omnibus MSS.*
Insulæ,
Quæ intercidere oppida, aut gentes.

Res, historiæ, & observationes.

Ex Auctoribus:

M. Varrone, Catone Censorio, M. Agrippa, Divo Augusto, Varrone Atacino, Corn. Nepote, Hygino, L. Vetere, Pomponio Mela, Licinio Muciano, Fabricio Tusco, Atteio Capitone, Atteio Philologo.

Externis:

Polybio, Hecatæo, Hellanico, Damaste, Eudoxo, Dicæarcho, Timosthene, Eratosthene [a], Ephoro, Cratete Grammatico, Serapione Antiochense, Callimacho, Artemidoro, Apollodoro, Agathocle, Eumacho, Timæo Siculo, Myrsilo, Alexandro Polyhistore, Thucydide, Dosiade, Anaximandro, Philistide Mallote, Dionysio, Aristide, Callidemo,

a) *Er.* abest.

Menæchmo, Aglosthene, Anticlide, Heraclide, Philemone, Xenophonte, Pythea, Isidoro, Philonide, Xenagora, Astynomo, Staphylo, Ariſtocrito[a], Metrodoro, Cleobulo, Poſidonio.

*LIBRO V. continentur ſitus, gentes, maria, oppida, portus, montes, flumina, menſuræ, populi qui ſunt aut fuerunt.*


I. MAURITANIARUM.
II. Numidiæ.
III. Africæ.
IV. Syrtium.
V. Cyrenaicæ.
VI. *Libyæ Mareotidis.*
VII. Inſularum circa Africam.
VIII. Averſorum Africæ.
IX. Ægypti & Thebaidis.
X. Nili.
XI. *Urbium in Ægypto.*
XII. Arabiæ, quæ eſt ad mare Ægyptium.
XIII. Syriæ.
XIV. Idumææ, Palæſtinæ, Samariæ.
XV. Judææ.
XVI. *Decapoleos.*
XVII. Phœnices.


a) *Ariſt.* abeſt.

XVIII. Syriæ Antiochiæ.
XIX. *Reliquæ*[a] *Syriæ*.
XX. Euphratis.
XXI. *Syriæ ad Euphratem*.
XXII. Ciliciæ, & adjunctæ gentes.
XXIII. Isauricæ, & Homonadum.
XXIV. Pisidiæ.
XXV. Lycaoniæ.
XXVI. Pamphyliæ.
XXVII. Tauri montis.
XXVIII. Lyciæ.
XXIX. Cariæ.
XXX. *Lydiæ*.
XXXI. Ioniæ.
XXXII. Æolidis.
XXXIII. Troadis, & adjunctæ gentes.
XXXIV. Insularum ante Asiam CCXII. In his
XXXV. Cypri,
XXXVI. Rhodi,
XXXVII. Sami,
XXXVIII. Chii,
XXXIX. Lesbi,
XL. Hellespontus, & Mysia.
XLI. Phrygia.
XLII. Galatia, & adjunctæ gentes.
XLIII. Bithynia.

a) *Reliquiæ*.

XLIV. *Insulæ in Propontide.*

| | | |
|---|---|---|
| Summa: | Oppida & gentes, | *Numerus deest in omnibus MSS.* |
| | Flumina clara, | |
| | Montium clari, | |
| | Insulæ, CXVII.[a] | *Numerus insularum* CXVII[a], *manifesto in mendo cubat. Forte* CCCXVII[b]. |
| | Quæ intercidere oppida aut gentes. | |

Res, historiæ, & observationes.

EX AUCTORIBUS:

Agrippa, Suetonio Paulino, M. Varrone, Varrone Atacino, Corn. Nepote, Hygino, L. Vetere, Mela, Domitio Corbulone, Licinio Muciano, Cl. Cæsare, Arruntio, Livio filio, Seboso, Actis triumphorum.

EXTERNIS:

Juba rege, Hecatæo, Hellanico, Damaste, Dicæarcho, Bætone, Timosthene, Philonide, Xenagora, Astynomo, Staphylo, Aristotele, Dionysio, Aristocrito, Ephoro, Eratosthene, Hipparcho, Panætio, Serapione Antiocheno, Callimacho, Agathocle, Polybio, Timæo mathematico, Herodoto, Myrsilo, Alexandro Polyhistore, Metrodoro, Posidonio qui περίπλουν aut περιήγησιν, Sotade, Perian-

a) CXVIII. b) CCCXVIII.

dro, Aristarcho Sicyonio, Eudoxo, Antigene, Callicrate, Xenophonte Lampsaceno, Diodoro Syracusano, Hannone, Himilcone, Nymphodoro, Calliphane, Artemidoro, Megasthene, Isidoro, Cleobulo, Aristocreonte.

*LIBRO VI. continentur ſitus, gentes, maria, oppida, portus, montes, flumina, menſuræ, populi qui ſunt aut fuerunt.*


I. PONTI & Maryandinorum.

II. Paphlagonum.

III. Cappadocum.

IV. Themiſcyrena regio, & in ea gentes.

V. Regio Colica, & gentes Achæorum, & ceteræ eodem tractu gentes.

VI. Boſporus [a] Cimmerius.

VII. Mæotis, & gentes circa Mæotim.

VIII. *Cappadociæ ſitus.*

IX. Armenia major, & minor.

X. Cyrus fluvius, & Araxes.

XI. Albania, Iberia, & junctæ gentes.

XII. Portæ Caucaſiæ.

XIII. Inſulæ in Ponto.

XIV. Gentes a Scythico Oceano.

XV. Caſpium & Hyrcanium [b] mare.


a) *Boſphorus.* b) *Hyrcanum.*

XVI. Adiabene.
XVII. Media, & Portæ Caspiæ.
XVIII. Gentes circa Hyrcanium[a] mare.
XIX. Scytharum gentes & situs ab Oceano Eoo.
XX. Seres.
XXI. Indi.
XXII. Ganges.
XXIII. Indus.
XXIV. Taprobane.
XXV. Ariani & junctæ gentes[b].
XXVI. Navigationes in Indiam.
XXVII. Carmania.
XXVIII. Sinus Persicus, & Arabicus.
XXIX. Parthorum regna.
XXX. Mesopotamia.
XXXI. Tigris.
XXXII. Arabia.
XXXIII. Sinus maris Rubri.
XXXIV. Troglodytice.
XXXV. Æthiopia.
XXXVI. Insulæ Æthiopici maris.
XXXVII. De Insulis Fortunatis.
XXXVIII. Terræ per mensuras comparatæ.
XXXIX. Digestio terrarum in parallelos & umbras pares.

a) *Hyrcanum*. b) *XXV. Gedrosi & adjunctæ satrapiæ.*

Summa: Oppida, MCXCV.
Gentes, DLXXVI.
Flumina clara, CXV.
Montes clari, XXXVIII.
Insulæ, CVIII.
Quæ intercidere oppida aut gentes, XCV.

Res, historiæ, & observationes MMCCXIV.

EX AUCTORIBUS:

M. Agrippa, M. Varrone, Varrone Atacino, Corn. Nepote, Hygino, L. Vetere, Mela Pomponio, Domitio Corbulone, Licinio Muciano, Claudio Cæsare, Arruntio, Seboso, Fabricio Tusco, T. Livio, Seneca, Nigidio.

EXTERNIS:

Juba rege, Hecatæo, Hellanico, Damaste, Eudoxo, Dicæarcho, Bætone, Timosthene, Patrocle, Demodamante, Clitarcho, Eratosthene, Alexandro Magno, Ephoro, Hipparcho, Panætio, Callimacho, Artemidoro, Apollodoro, Agathocle, Polybio, Eumacho, Timæo Siculo, Alexandro Polyhistore, Isidoro, Amometo, Metrodoro, Posidonio, Onesicrito, Nearcho, Megasthene, Diogneto, Ari-

stocreonte, Bione, Dalione, Simonide minore, Basile, Xenophonte Lampsaceno.

*LIBRO VII. continetur hominum generatio & institutio, atque inventio artium.*


I. DE *homine.*

II. Gentium mirabiles figuræ.

III. Prodigiosi partus.

IV. De homine generando: Pariendi tempora perillustria: Exempla a mensibus VII ad XIII.

V. Signa sexus in gravidis pertinentia ante partum.

VI. Monstruosi partus.

VII. Excisi utero.

VIII. Qui sint vopisci.

IX. De conceptu hominum & generatione.

X. Similitudinum exempla.

XI. Ad quos hominum generatio. Numerosissimæ sobolis exempla.

XII. Ad quos annos generatio.

XIII. Mensium in feminis miracula.

XIV. Quæ ratio generandi.

XV. Historica circa dentes. Historica circa infantes.

XVI. Magnitudinum exempla.

XVII. Præproperi infantes.
XVIII. Insignia corporum.
XIX. Vires eximiæ.
XX. Velocitas præcipua.
XXI. Visus eximii.
XXII. Auditus miraculum.
XXIII. Patientia corporis.
XXIV. Memoria.
XXV. Vigor animi.
XXVI. Clementia, & animi magnitudo.
XXVII. Rerum gestarum claritas summa.
XXVIII. Tres summæ virtutes in eodem, & Innocentia summa.
XXIX. Fortitudo summa.
XXX. Ingenia præcipua.
XXXI. Qui sapientissimi.
XXXII. Præcepta vitæ utilissima.
XXXIII. De divinatione.
XXXIV. Vir optimus judicatus.
XXXV. Matronæ pudicissimæ.
XXXVI. Summæ pietatis exempla.
XXXVII. Artibus excellentes: Astrologia, Grammatica, Medicina.
XXXVIII. Geometria, & Architectura.
XXXIX. Pictura, scalptura[a] æraria, marmoraria, eboraria, cælatura.

a) *scalptura æ.* deest.

XL. Pretia hominum inſignia.
XLI. De felicitate ſumma.
XLII. Raritas continuationis in familiis.
XLIII. Varietatis exempla mirabilia.
XLIV. Honorum exempla mirabilia.
XLV. Decem res in uno feliciſſimæ.
XLVI. Divi Auguſti adverſa.
XLVII. Quos Dii feliciſſimos judicaverint.
XLVIII. Quem viventem ut Deum coli juſſerint. Fulgur mirabile[a],
XLIX. De ſpatiis vitæ longiſſimis.
L. De varietate naſcendi.
LI. In morbis exempla varia.
LII. De morte.
LIII. Qui elati revixerint.
LIV. Subitæ mortis exempla.
LV. De ſepultura.
LVI. De Manibus: De anima.
LVII. Quæ quis in vita invenerit.
LVIII. In quibus rebus primi gentium conſenſus. De antiquis literis.
LIX. Quando primum tonſores.
LX. Quando primum horologia.

Summa. Res, hiſtoriæ, & obſervationes, DCCXLVII.

a) *F. m.* deeſt.

## Ex Auctoribus:

Verrio Flacco, Cn. Gellio, Licinio Muciano, Massurio Sabino, Agrippina Claudii, M. Cicerone, Asinio Pollione, Messala, Rufo, Corn. Nepote, Virgilio, Livio, Cordo, Melisso, Seboso, Corn. Celso, Maximo Valerio, Trogo, Nigidio Figulo, Pomponio Attico, Pediano Asconio, Fabiano, Catone Censorio, Actis, Fabio Vestale.

## Externis:

Herodoto, Aristea, Bætone, Isigono, Cratete, Agatharchide, Calliphane, Aristotele, Nymphodoro, Apollonide, Phylarcho, Damone, Megasthène *, Ctesia, Taurone, Eudoxo, Onesicrito, Clitarcho, Duride, Artemidoro, Hippocrate medico, Asclepiade medico, Hesiodo, Anacreonte, Theopompo, Hellanico, Damaste, Ephoro, Epigene, Beroso, Petosiri, Necepso, Alexandro Polyhistore, Xenophonte, Callimacho, Democrito, Diyllo historico, Stratone qui contra Ephori εὑρήματα scripsit, Heraclide Pontico, Asclepiade qui τραγῳδούμενα, Philostephano, Hegesia, Archimacho, Thucydide, Mnesigitone, Xenagora, Metrodoro Scepsio, Anticlide, Critodemo.

*) *Megaſtene* sph. Ed. Brot.

*LIBRO VIII. continentur terreſtrium animalium naturæ.*

I. DE elephantis. De ſenſu eorum.
II. Quando primum juncti.
III. De docilitate eorum.
IV. Mirabilia in factis eorum.
V. De natura ferarum ad pericula ſua intelligenda.
VI. Quando primum in Italia viſi elephanti.
VII. Pugnæ eorum.
VIII. Quibus modis capiantur.
IX. Quibus domentur.
X. De partu eorum & reliqua natura.
XI. Ubi naſcantur: Diſcordia eorum & draconum.
XII. De ſolertia animalium.
XIII. De draconibus.
XIV. Miræ magnitudinis ſerpentes.
XV. De Scythicis animalibus: De biſontibus.
XVI. De Septemtrionalibus: Alce: achli: bonaſo.
XVII. De leonibus: Quomodo gignantur.
XVIII. Quæ genera eorum.
XIX. Quæ propriæ naturæ.
XX. Quis primus leontomachiam Romæ:

Quis

Quis plurimos in ea leones donaverit [a].
XXI. Mirabilia in leonum factis.
XXII. A dracone agnitus & [b] servatus.
XXIII. De pantheris.
XXIV. Senatusconsultum & leges de Africanis. Quis primus Romæ Africanas: quis plurimas.
XXV. De tigribus. Quando primum Romæ visa tigris. De natura earum.
XXVI. De camelis. Genera eorum.
XXVII. De camelopardali. Quando primum Romæ visa.
XXVIII. De chao: De cephis.
XXIX. De rhinocerote.
XXX. De lynce, & sphingibus. De crocotis. De cercopithecis.
XXXI. Indiæ terrestria animalia.
XXXII. Item Æthiopiæ. Bestia visu interficiens.
XXXIII. De basiliscis serpentibus.
XXXIV. De lupis. Unde fabula versipellis.
XXXV. Serpentium genera.
XXXVI. De ichneumone.
XXXVII. De crocodilo.

a) *donavit*. b) *aut*.

XXXVIII. De scinco.
XXXIX. De hippopotamo.
XL. Quis primus ostenderit eum Romæ, & crocodilum.
XLI. Medicinæ ab animalibus repertæ.
XLII. Prognostica periculorum ex animalibus.
XLIII. Gentes ab animalibus sublatæ.
XLIV. De hyænis.
XLV. De corocottis. De mantichoris.
XLVI. De onagris.
XLVII. De castoreo. De aquaticis, & iisdem terrestribus. De lutris.
XLVIII. De ranis rubetis.
XLIX. De vitulo marino. De fibris. De stellionibus.
L. De cervis.
LI. De chamæleonte.
LII. De reliquis colorem mutantibus: tarando, lycaone, thoe.
LIII. De hystrice.
LIV. De ursis: de fetu eorum.
LV. De muribus Ponticis, & Alpinis.
LVI. De herinaceis.
LVII. De leontophono: de lynce.
LVIII. Meles: sciuri.
LIX. De viperis, & cochleis.
LX. De lacertis.

LXI. Canum naturæ. Exempla eorum circa dominos: qui præliorum causa canes habuerint.
LXII. De generatione eorum.
LXIII. Contra rabiem remedia.
LXIV. Equorum natura.
LXV. De ingeniis equorum. Mirabilia quadrigarum.
LXVI. Generatio equorum.
LXVII. Vento concipientes.
LXVIII. De asinis: Generatio in his.
LXIX. Mularum natura, & reliquorum jumentorum [a].
LXX. De bubus, & generatio eorum.
LXXI. Apis in Ægypto.
LXXII. Pecorum natura, & generatio eorum.
LXXIII. Genera lanæ & colorum.
LXXIV. Genera vestium.
LXXV. *De pecorum forma, & de musmone.*
LXXVI. Caprarum natura & generatio.
LXXVII. Suum item.
LXXVIII. De feris subus. Quis primus vivaria bestiarum instituit.
LXXIX. De semiferis animalibus [b].
LXXX. De simiis.

a) Post hæc: *generatio in his.* b) *anim.* deest.

LXXXI. De leporum[a] generibus.
LXXXII. De nec placidis, nec feris animalibus.
LXXXIII. Quæ quibus in locis animalia non sint.
LXXXIV. Ubi & quæ advenis tantum noceant: Ubi & quæ indigenis tantum.

Summa. Res, & historiæ, & observationes DCCLXXXVII.

Ex Auctoribus:

Muciano, Procilio, Verrio Flacco, L. Pisone, Corn. Valeriano, Catone Censorio, Fenestella, Trogo, Actis, Columella, Virgilio, Varrone, Lucilio, Metello Scipione, Corn. Celso, Nigidio, Trebio Nigro, Pomponio Mela, Mamilio Sura.

Externis:

Juba rege, Polybio, Herodoto, Antipatro, Aristotele, Demetrio Physico, Democrito, Theophrasto, Evanthe, Agrippa qui Ὀλυμπιονίκας, Hierone rege, Attalo[b] rege, Philometore rege, Ctesia, Duride, Philisto, Archyta, Phylarco, Amphilocho Athenæo, Anaxipoli Thasio, Apollodoro Lemnio, Aristophane Milesio, Antigono Cymæo, Agathocle Chio, Apollonio Pergameno, Aristandro Athenæo, Bacchio Milesio, Bione Solense, Chæ-

a) *luporum*. b) *A. P. item*.

rea Athenæo, Diodoro Prienæo, Dione Colophonio, Epigene Rhodio, Evagone Thasio, Euphronio Athenæo, Hegesia Maroneo, Menandris, Prienæo & Heracleote, Menecrate poeta, Androtione qui de agricultura scripsit, Æschrione qui item, Lysimacho qui item, Dionysio qui Magonem transtulit, Diophane qui ex Dionysio epitomen fecit, Archelao rege, Nicandro.

*LIBRO IX. continetur aquatilium natura.*


I. QUARE maxima in mari animalia.

II. Indici maris belluæ.

III. Quæ in quoque Oceano maximæ.

IV. De Tritonum & Nereidum figuris. De elephantorum marinorum figuris.

V. De balænis: De orcis.

VI. An spirent pisces: an dormiant.

VII. De delphinis.

VIII. Quos amaverint.

IX. Quibus in locis societate cum hominibus piscentur.

X. Alia circa eos mira.

XI. De tursionibus.

XII. De testudinibus. Quæ genera aquatilium testudinum, & quomodo capiantur.

XIII. Quis primus testudinem secare instituerit.

XIV. Digestio aquatilium per species.
XV. Quæ pilo vestiantur, aut careant: & quomodo pariant. De vitulis marinis, sive phocis.
XVI. Quot genera piscium.
XVII. Qui maximi pisces.
XVIII. Thynni, cordylæ, pelamides. Membratim ex his salsura: Melandrya, apolecti, cybia.
XIX. Amiæ: Scombri.
XX. Qui non sint pisces in Ponto: Qui intrent, & qui alias redeant.
XXI. Quare pisces extra aquam exiliant[a].
XXII. Esse auguria ex piscibus.
XXIII. In quo genere piscium mares non sint.
XXIV. Qui calculum in capite habeant: qui lateant hieme: & qui hieme non capiantur, nisi statis diebus.
XXV. Qui æstate lateant: qui siderentur pisces.
XXVI. De mugile.
XXVII. De acipensere.
XXVIII. De lupo: de asello.
XXIX. De scaro: de mustela.
XXX. Mullorum genera: & de sargo comite.

a) *exsiliant*.

XXXI. Mirabilia piscium pretia.
XXXII. Non ubique eadem genera placere.
XXXIII. De branchiis: de squamis.
XXXIV. Vocales, & sine branchiis pisces.
XXXV. Qui in terram exeant. Tempora capturæ.
XXXVI. Digestio piscium in figuras corporis. Rhomborum & passerum differentia. De longis piscibus.
XXXVII. De piscium pinnis, & natandi ratione.
XXXVIII. Anguillæ.
XXXIX. Murænæ.
XL. Planorum piscium genera.
XLI. Echeneis, & veneficia ejus.
XLII. Qui pisces colorem mutent.
XLIII. Qui volitent extra aquam: De hirundine: De pisce qui noctibus lucet: De cornuto: De dracone marino.
XLIV. De piscibus sanguine carentibus: Qui piscium molles appellentur.
XLV. De sepia, de loligine, de pectunculis.
XLVI. De polypis.
XLVII. De navigatore polypo.
XLVIII. *Polyporum genera: solertia.*
XLIX. De navigatore nauplio.
L. Crusta intecti: De locustis.
LI. Cancrorum genera: De pinnothere, echinis, cochleis, pectinibus.

LII. Concharum genera.
LIII. Quanta luxuriæ materia sit in mari.
LIV. De margaritis: quomodo nascantur, & ubi.
LV. Quomodo inveniantur.
LVI. Quæ genera unionum.
LVII. Quæ observanda in his. Quæ natura eorum.
LVIII. Exempla circa eos.
LXIX. Quando primum in usum venerint Romæ.
LX. Muricum naturæ, & purpurarum.
LXI. Quæ nationes purpuræ.
LXII. Quomodo ex his lanæ tingantur.
LXIII. Quando purpuræ usus Romæ: quando lati clavi, & prætextæ.
LXIV. De conchyliatis vestibus.
LXV. De amethysto tingendo: de tyrio[a], de hysgino, de cocco.
LXVI. De pinna & pinnotere.
LXVII. De sensu aquatilium: Torpedo, pastinaca, scolopendræ, glanis: De ariete pisce.
LXVIII. De his, quæ tertiam naturam habent animalium & fruticum. De urticis.

a) *de t.* abest.

LXIX. De spongiis: quæ genera earum, & ubi naſcantur: animal eſſe eas.
LXX. De caniculis.
LXXI. De his quæ ſilicea teſta clauduntur. Quæ ſine ſenſu ullo in mari. De reliquis ſordium animalibus.
LXXII. De venenatis marinis.
LXXIII. De morbis piſcium.
LXXIV. De generatione eorum.
LXXV. Qui intra ſe ova pariant, & animal.
LXXVI. Quorum in partu rumpatur venter, dein coeat.
LXXVII. Qui vulvas habeant: qui ſe ipſi ineant.
LXXVIII. Quæ longiſſima vita piſcium.
LXXIX. Quis primus vivaria oſtrearum invenerit.
LXXX. Quis primus reliquorum piſcium vivaria inſtituerit.
LXXXI. Quis murænarum vivaria inſtituerit.
LXXXII. Quis primus cochlearum vivaria inſtituerit.
LXXXIII. Piſces terreni.
LXXXIV. De muribus in Nilo.
LXXXV. Quomodo capiantur anthiæ piſces.
LXXXVI. De ſtellis marinis.
LXXXVII. De dactylorum miraculis.
LXXXVIII. De inimicitiis inter ſe aquatilium, & amicitiis.

Summa. Res, & historiæ, & obſervatione DCL.

Ex Auctoribus:

Turranio Gracile, Trogo, Mæcenate, Alfio Flavio, Corn. Nepote, Laberio mimographo, Fabiano, Feneſtella, Muciano, Ælio Stilone, Statio Seboſo, Meliſſo, Seneca, Cicerone, Macro Æmilio, Meſſala Corvino, Trebio Nigro, Nigidio.

Externis:

Ariſtotele, Archelao rege, Callimacho, Democrito, Theophraſto, Thraſyllo, Hegeſidemo Cythnio, Alexandro Polyhiſtore.

*LIBRO X. continentur volucrum naturæ.*

I. De ſtruthiocamelo.
II. De phœnice.
III. Aquilarum genera.
IV. Natura earum.
V. Quando legionum ſigna eſſe cœperint.
VI. De aquila, quæ in rogum virginis ſe miſit.
VII. De vulture.
VIII. Sanqualis avis, & immuſſulus.
IX. Accipitres: buteo.

X. In quibus locis societate accipitres, & homines aucupentur.

XI. Quæ avis sola a suo genere interimatur: quæ avis singula ova pariat.

XII. Milvi.

XIII. Digestio avium per genera.

XIV. Cornices: inauspicatæ aves. Quibus mensibus non sint inauspicatæ[a].

XV. De corvis.

XVI. De bubone.

XVII. Aves quarum vita aut notitia intercidit.

XVIII. Quæ a cauda nascantur.

XIX. De noctuis.

XX. De pico Martio.

XXI. De his, qui uncos ungues habent.

XXII. De pavonibus.

XXIII. Quis primum pavonem cibi causa occiderit. Quis farcire instituerit.

XXIV. De gallinaceis.

XXV. Quomodo castrentur. De gallinaceo locuto.

XXVI. De ansere.

XXVII. Quis primum jecur anserinum instituit.

XXVIII. De Commageno.

a) *Q. m. n. s. i.* desunt.

XXIX. Chenalopeces, chenerotes, tetraones, otides.

XXX. Grues.

XXXI. De ciconiis.

XXXII. De oloribus.

XXXIII. De avibus peregrinis quæ veniunt: Coturnices, glottides, cychramus, otus.

XXXIV. Hirundines.

XXXV. De avibus nostris quæ discedunt[a], & quo abeant: turdi, merulæ, sturni. De avibus, quæ plumas amittunt in occultatione: turtur, palumbes. Sturnorum & hirundinum volatus.

XXXVI. Quæ avium perennes, quæ semestres, quæ trimestres: galguli, upupæ.

XXXVII. Memnonides.

XXXVIII. Meleagrides.

XXXIX. Seleucides.

XL. Ibis.

XLI. Quæ quibus locis aves non sint.

XLII. De oscinum generibus, & quæ mutant colorem & vocem.

XLIII. De lusciniis.

a) *discedant.*

XLIV. De melancoryphis, erithacis*, phœnicuris.
XLV. Oenanthe: chlorio: merulæ: ibis.
XLVI. Tempus avium geniture.
XLVII. Halcyones: dies earum navigabiles.
XLVIII. De reliquo aquaticarum genere.
XLIX. De solertia avium in nidis. Hirundinum opera mira. Ripariæ.
L. Acanthillis, &c.[a]
LI. Merops. De perdicibus.
LII. De columbis.
LIII. Opera earum mirabilia, & pretia.
LIV. Differentiæ volatus, & incessus.
LV. Apodes, sive cypseli.
LVI. De pastu avium: Caprimulgi: platea.
LVII. De ingeniis avium. Carduelis, taurus, anthus.
LVIII. De avibus quæ loquuntur: Psittaci.
LIX. Picæ glandares.
LX. Propter corvum loquentem seditio Populi Romani.
LXI. Diomedeæ.
LXII. Quæ animalia nihil discant.
LXIII. De potu avium: De porphyrione.
LXIV. Hæmatopodes.

*) *eritachis* sphalma Ed. Brot. a) *Acanthyllis*.

LXV. De pastu avium.
LXVI. Onocrotali.
LXVII. De peregrinis avibus: Phalerides, phasianæ, Numidicæ.
LXVIII. Phænicopteri, attagenæ, phalacrocoraces, pyrrhocoraces, lagopodes.
LXIX. De novis avibus: Bibiones.
LXX. De fabulosis avibus.
LXXI. Quis gallinas farcire instituerit: quique hoc primi Censores vetuerint[a].
LXXII. Quis primus aviaria instituerit. De Æsopi patina.
LXXIII. Generatio avium: Quæ præter aves ova gignant.
LXXIV. Ovorum genera, & naturæ.
LXXV. Vitia, & remedia incubantium.
LXXVI. Augustæ ex ovis augurium.
LXXVII. Quales gallinæ optimæ.
LXXVIII. Morbi earum, & remedia.
LXXIX. *Quando aves, & quot ova pariant. Ardeolarum genera*[b].
LXXX. Quæ ova hypenemia: quæ cynosura: quomodo optime serventur ova.
LXXXI. Quæ volucrum sola animal pariat, & lacte nutriat.

a) *vetuerunt*. b) *A. g.* desunt.

LXXXII. Quæ terrestrium ova pariant. Serpentium genera.
LXXXIII. Terrestrium omnium generatio.
LXXXIV. Quæ sit animalium in uteris positio [a].
LXXXV. Quorum animalium origo adhuc incerta sit.
LXXXVI. De salamandris.
LXXXVII. Quæ nascantur ex non genitis. Quæ nata nihil gignant: In quibus neuter sexus sit.
LXXXVIII. De sensibus animalium. Tactum omnibus esse: item gustatum [b]. Quibus visus præcipuus: quibus odoratus: quibus auditus: de talpis. An ostreis auditus.
LXXXIX. Qui ex piscibus clarissime audiant.
XC. Qui ex piscibus maxime odorentur.
XCI. Diversitas animalium in pastu.
XCII. Quæ venenis vivant.
XCIII. Quæ terra: Quæ famæ aut siti non intereant.
XCIV. De diversitate potus.
XCV. Quæ inter se dissideant. Amicitiam animalium esse: & affectus animalium.

a) *Q. sint a. i. u. porrecta.* b) *T. o. esse: i. g.* desunt.

XCVI. Exempla affectus serpentium.
XCVII. De somno animalium.
XCVIII. Quæ somnient.

Summa. Res, & historiæ, & observationes DCCXCIV.

Ex Auctoribus;

Manilio, Corn. Valeriano, Actis, Umbricio Meliore, Massurio Sabino, Antistio Labeone, Trogo, Cremutio, M. Varrone, Macro Æmilio, Melisso, Muciano, Nepote, Fabio Pictore, T. Lucretio, Corn. Celso, Horatio, D. Eculeone, Hygino, Sasernis, Nigidio, Mamilio Sura.

Externis;

Homero, Phemonoe, Philemone, Bœo qui ὀρνιθογονίαν *, Hyla qui ** de auguriis, Aristotele, Theophrasto, Callimacho, Æschylo, Hierone rege, Philometore rege, Archyta Tarentino, Amphilocho Atheniense, Anaxipoli Thasio, Apollodoro Lemnio, Aristophane Milesio, Antigono Cymæo, Agathocle Chio, Apollonio Pergameno, Aristandro Atheniense, Bacchio Milesio, Bione Solense, Chærea Atheniense, Diodoro Prienæo, Dione Colophonio, De-

*) 'φρνιθογονίαν sphalma Ed. Brot. **) *qui* male abest in Edit. Brot.

Democrito, Diophane Nicæense, Epigene Rhodio, Evagone Thasio, Euphonio Athenæo, Juba Androtione qui de agricoltura, Æschrione qui item, Lysimacho qui item, Dionysio qui Magonem transtulit, Diophane qui ex Dionysio epitomen fecit, Nicandro, Onesicrito, Phylarcho, Hesiodo.

*LIBRO XI. continentur insectorum animalium genera.*


I. SUBTILITAS in his rebus naturæ.
II. An spirent, an habeant sanguinem.
III. De corpore eorum.
IV. De apibus.
V. Qui ordo in opere earum.
VI. Quid sit in eo commosis, pissoceros, propolis.
VII. Quid erithace, sive sandarace, sive cerinthos.
VIII. Ex quibus floribus opera fiant.
IX. Apium studio capti.
X. Ratio operis.
XI. De fuscis.
XII. Quæ natura mellis.
XIII. Quæ optima mella.
XIV. Quæ genera mellis in singulis locis.

XV. Quomodo probentur. De erice, ſive tetradice, ſive ſiſyro.
XVI. Quomodo apes generent.
XVII. Quæ regiminis ratio.
XVIII. Aliquando & lætum omen eſſe examinum.
XIX. Genera apium.
XX. De morbis apium.
XXI. Quæ inimica apibus.
XXII. De continendis apibus.
XXIII. De reparandis.
XXIV. De veſpis & crabronibus. Quæ animalia ex alieno ſuum faciant.
XXV. De bombyce Aſſyria.
XXVI. De bombyliis necydalis. Quæ primam[a] invenerit bombycinam veſtem.
XXVII. De bombyce Coa. Quomodo conficiatur Coa veſtis.
XXVIII. De araneis: qui ex his texant: quæ materiæ natura ad texendum.
XXIX. Generatio aranearum.
XXX. De ſcorpionibus.
XXXI. De ſtellionibus.
XXXII. De cicadis: ſine ore eſſe, ſine exitu cibi.
XXXIII. De pinnis inſectorum.

a) *Quis primum.*

XXXIV. De scarabæis. Lampyrides. Reliqua scarabæorum genera.
XXXV. De locustis.
XXXVI. De formicis.
XXXVII. Chrysallides.
XXXVIII. De his animalibus, quæ ex ligno, aut in ligno nascuntur.
XXXIX. Sordium hominis animalia. Quod animal minimum: etiam in cera animalia.
XL. Animal cui cibi exitus non est.
XLI. Tineæ, cantharides, culices. Nivis animal.
XLII. Ignium animal: pyralis, sive pyraustes.
XLIII. Hemerobion.
XLIV. Animalium omnium per singula membra, naturæ & historiæ. Quæ apices habent, quæ cristas.
XLV. Cornuum genera. Quibus mobilia.
XLVI. De capitibus, & quibus nulla.
XLVII. De capillo.
XLVIII. De ossibus capitis.
XLIX. De cerebro.
L. De auribus: Quæ sine âuribus, & sine[a] foraminibus audiant.
LI. De facie, de fronte, & superciliis.
LII. De oculis: Quæ sine oculis animalia: quæ singulos oculos tantum habeant.

a) *sine* hoc alterum abest.

LIII. De diverſitate oculorum.
LIV. Quæ ratio viſus. Noctu videntes.
LV. De natura pupillæ. Quæ non conniveant.
LVI. De palpebris, & quibus non ſint: quibus ab altera tantum parte.
LVII. Quibus genæ non ſint.
LVIII. De malis.
LIX. De naribus.
LX. De buccis, labris, mentis, maxillis.
LXI. De dentibus: Quæ genera eorum: quibus non utraque parte ſint: quibus cavi.
LXII. De ſerpentium dentibus: de veneno eorum. Cui volucri dentes.
LXIII. Mirabilia dentium.
LXIV. Ætas animantium ab iis.
LXV. De lingua, & quæ ſine ea: de ranarum ſono. De palato.
LXVI. De tonſillis. Uva, epigloſſis, arteriæ, gula.
LXVII. Cervix, collum, ſpina.
LXVIII. Guttur, fauces, ſtomachus.
LXIX. De corde, ſanguine, animo.
LXX. Quibus maxima corda: quibus minima: quibus bina.
LXXI. Quando in extis aſpici cœpta.
LXXII. De pulmone: & quibus maximus, qui-

bus minimus: quibus nihil aliud quam pulmo intus: quæ causa velocitatis animalium.

LXXIII. De jocinere, & quibus animalibus, & in quibus locis bina jocinera.

LXXIV. De felle: ubi, & in quibus geminum. Quibus animalium non sit: & quibus alibi quam in jocinere.

LXXV. Quæ vis ejus.

LXXVI. Quibus crescat cum luna, & decrescat jecur. Aruspicum circa ea observationes, & prodigia mira.

LXXVII. Præcordia. Risus natura.

LXXVIII. De ventre, & quibus nullus. Quæ sola vomant.

LXXIX. Lactes, hillæ, alvus, colon. Quare quædam insatiabilia animalia.

LXXX. De omento, & de splene, & quibus animalium non sit.

LXXXI. De renibus, & ubi quaterni animalibus: quibus nulli.

LXXXII. Pectus: costæ.

LXXXIII. Vesica: & quibus animalibus non sit.

LXXXIV. De vulvis: de suum vulva: de sumine.

LXXXV. Quæ sevum habeant, quæ non pinguescant.

LXXXVI. De medullis, & quibus non sint.

LXXXVII. De ossibus, & spinis. Quibus nec ossa, nec spina. Cartilagines.

LXXXVIII. De nervis. Quæ sine nervis.

LXXXIX. Arteriæ, venæ: Quæ nec venas, nec arterias habent. De sanguine & sudore.

XC. Quorum celerrime sanguis spissetur: quorum non coeat: quibus crassissimus, quibus tenuissimus, quibus nullus.

XCI. Quibus certis temporibus anni nullus.

XCII. An in sanguine principatus.

XCIII. De tergore.

XCIV. De pilis & vestitu tergoris.

XCV. De mammis, & quæ volucrum mammas habeant. Notabilia animalium in uberibus.

XCVI. De lacte, de colostris, de caseis, ex quibus non fiat: de coagulo. Genera alimenti ex lacte.

XCVII. Genera caseorum.

XCVIII. Differentiæ membrorum hominum a reliquis animalibus.

XCIX. De digitis: de brachiis.

C. De simiarum similitudine.

CI. De unguibus.

CII. De genibus, & poplitibus.

CIII. In quibus membris corporis humani sacra religio.
CIV. Varices.
CV. De gressu, & pedibus, & cruribus.
CVI. De ungulis.
CVII. Volucrum pedes.
CVIII. Pedes animalium, a binis ad centenos. De pumilionibus.
CIX. De genitalibus: de hermaphroditis.
CX. De testibus. Trium generum semiviri.
CXI. De caudis.
CXII. De vocibus animalium.
CXIII. De agnascentibus membris.
CXIV. Vitalitatis, & morum notæ, & ex membris hominum.
CXV. De anima & victu.
CXVI. Quæ veneno pasta ipsa non pereunt, & gustata necant.
CXVII. Quibus de causis homo non concoquat. De remediis cruditatum.
CXVIII. Quemadmodum corpulentia contingat: quomodo minuatur.
CXIX. Quæ gustu famem sitimque sedent.

Summa. Res, & historiæ, & observationes MMDCCLXX.[a]

a) MMCCLXX.

### Ex Auctoribus:

M. Varrone, Hygino, Scropha, Saserna, Celso Cornelio, Æmilio Macro, Virgilio, Columella, Julio Aquila qui de Etrusca disciplina scripsit, Tarquitio qui item, Umbricio qui item, Catone Censorio, Domitio Calvino, Trogo, Melisso, Fabiano, Muciano, Nigidio, Mamilio, Oppio.

### Externis:

Aristotele, Democrito, Neoptolemo qui μελιτουργικά, Aristomacho qui item, Philisto qui item, Nicandro, Menecrate, Dionysio qui Magonem transtulit, Empedocle, Callimacho, Attalo rege, Apollodoro qui de bestiis venenatis, Hippocrate, Herophilo, Erasistrato, Asclepiade, Themisone, Posidonio Stoico, Menandris, Prienense & Heracleote, Euphronio Athenæo, Theophrasto, Hesiodo, Philometore rege.

## *LIBRO XII. continentur arborum naturæ.*

I. & II. HONOR earum.
III. De peregrinis arboribus. Platanus quando primum in Italia, & unde.
IV. Natura earum.
V. Miracula ex his.

VI. Chamæplatani. Quis primum viridaria tondere instituerit.
VII. Malum Assyrium quomodo seratur.
VIII. Indiæ arbores.
IX. Quando primum Romæ visa ebenus. Quæ genera ejus.
X. Spina Indica.
XI. Ficus Indica.
XII. Arbor pala: pomum ariena[a].
XIII. Indicarum arborum formæ sine nominibus. Liniferæ Indiæ arbores.
XIV. Piperis arbores. Genera piperis: Brecma. Zingiberi, sive Zimpiberi.
XV. Caryophyllon. Lycium, sive pyxacanthum Chironium.
XVI. Macir.
XVII. Saccharon.
XVIII. Arbores Arianæ gentis: Item Gedrosiæ: item Hyrcaniæ.
XIX. Item Bactriæ. Bdellium, sive brochon, sive malacham, sive malodacum. Scordacti. In omnibus odoribus aut condimentis dicuntur adulterationes, experimenta, pretia.
XX. Persidis arbores.

a) *ariana*.

XXI. Persici maris insularum arbores. Gossypinum arbor[a].
XXII. Chynas arbor. Ex quibus arboribus lina in Oriente fiant.
XXIII. Quo in loco arborum nulla folia decidant.
XXIV. Quibus modis constent arborum fructus.
XXV. De costo.
XXVI. De nardo. Differentiæ ejus XII.
XXVII. Asaron.
XXVIII. Amomum: Amomis.
XXIX. Cardamomum.
XXX. De thurifera regione.
XXXI. Quæ arbores thus ferant.
XXXII. Quæ natura thuris, & quæ genera.
XXXIII. De myrrha.
XXXIV. De arboribus quæ ferunt eam.
XXXV. Natura & genera myrrhæ.
XXXVI. De masticke.
XXXVII. De ladano & stobolo.
XXXVIII. Enhæmon.
XXXIX. Bratus arbor.
XL. Stobrum arbor.
XLI. De felicitate Arabiæ.
XLII. De cinnamo. De xylocinnamo.
XLIII. Casia.

a) *arbores*.

XLIV. Cancamum. Tarum[a].
XLV. Serichatum. Gabalium.
XLVI. Myrobalanus.
XLVII. Phœnicobalanus.
XLVIII. De calamo odorato: de junco odorato.
XLIX. Hammoniacum.
L. Sphagnos.
LI. Cypros.
LII. Aspalathos, sive eryſisceptrum.
LIII. Maron.
LIV. De balsamo, opobalsamo, xylobalsamo.
LV. Styrax.
LVI. Galbanum.
LVII. De panace.
LVIII. Spondylion.
LIX. De malobathro.
LX. De omphacio.
LXI. Bryon, œnanthe, massaris.
LXII. Elate, vel spathe.
LXIII. Cinnamum, comacum.

Summa. Res, & historiæ, & observationes CCCCLXVIII.[b]

## Ex Auctoribus:

M. Varrone, Muciano, Virgilio, Fabiano, Seboso, Pomponio Mela, Flavio, Procilio, Trogo,

a) *Taron*. b) DCCCCLXXIV.

Hygino, Claudio Cæsare, Corn. Nepote, Sextio Nigro qui Græce de medicina scripsit, Cassio Hemina, L. Pisone, Tuditano, Antiate.

EXTERNIS:

Theophrasto, Herodoto, Callisthene, Isigono, Clitarcho, Anaximene, Duride, Nearcho, Onesicrito, Polycrito, Olympiodoro, Diogneto, Nicobulo, Anticlide, Charete Mitylenæo, Menæchmo, Dorotheo Athenæo, Lyco, Antæo, Ephippo, Chærea, Democle, Ptolemæo Lago, Marsya, Macedone, Zoilo item, Democrito, Amphilocho, Aristomacho, Alexandro Polyhistore, Juba, Apollodoro qui de odoribus scripsit, Heraclide medico, Archidemo item, Dionysio item, Democede item, Euphronio item, Mneside item, Diagora item, Jolla item, Heraclide Tarentino, Xenocrate Ephesio, Erathosthene *.

*LIBRO XIII. continentur historiæ de peregrinis arboribus, & unguentis.*

I. DE unguentis: quando cœperint.
II. Genera eorum, & compositiones XII.
III. Diapasmata, magmata: & probatio unguenti.

*) *Erathosthene* male abest Ed. Brot.

IV. Quanta in unguentis luxuria.
V. Quando primum Romanis in usu.
VI. De palmis.
VII. De natura earum.
VIII. Quomodo serantur.
IX. Genera earum, & insignia.
X. Syriæ arbores: Pistacia, cottana, Damascena, myxa.
XI. Cedrus. Quæ arbores trium annorum fructum pariter habeant.
XII. Terebinthus.
XIII. Rhus.
XIV. Ægypti arbores: Ficus Alexandrina.
XV. Ficus Cypria.
XVI. Siliqua ceraunia.
XVII. Persica arbor: & quibus arboribus subnascantur fructus.
XVIII. Cuci.
XIX. Spina Ægyptia.
XX. Gummium genera IX. Sarcocolla.
XXI. De papyro: de chartæ usu; quando cœperit.
XXII. Quomodo fiat.
XXIII. Genera ejus IX.
XXIV. Probatio chartarum.
XXV. Vitia chartarum.
XXVI. De glutino chartarum.

XXVII. De libris Numæ.
XXVIII. Æthiopiæ arbores.
XXIX. Atlantica arbor. De citri arbore, & de citreis mensis.
XXX. Quæ probentur, aut vituperentur in his.
XXXI. Malum citreum.
XXXII. Lotos.
XXXIII. Cyrenaicæ arbores: Paliurus.
XXXIV. Punici mali genera IX. Balaustium.
XXXV. Asiæ & Græciæ arbores: Epicactis erice, granum Cnidium, sive thymelæa, sive chamælea *, sive pyrosachne, sive cnestrum, sive cneorum.
XXXVI. Tragion: tragacantha.
XXXVII. Tragos sive scorpio: myrice, sive brya, ostrys.
XXXVIII. Evonymus.
XXXIX. Eon arbor.
XL. Andrachle.
XLI. Coccygia: apharce.
XLII. Ferula.
XLIII. Thapsia.
XLIV. Capparis, sive cynosbaton, sive ophiostaphylon.
XLV. Saripha.

*) *sive cham.* male abest Ed. Brot.

XLVI. Spina regia.
XLVII. Cytisus.
XLVIII. Arbores & frutices in mari nostro, Phycos, sive prason, sive zoster.
XLIX. Bryon marinum.
L. In mari Rubro.
LI. Item in Indico.
LII. Item Troglodytico: Isidis plocamos: Charitoblepharon.

Summa. Res, & historiæ, & observationes CCCCLXVIII.

Ex Auctoribus:

M. Varrone, Muciano, Virgilio, Fabiano, Seboso, Pomponio Mela, Fabio, Hygino, Trogo, Procilio, Claudio Cæsare, Corn. Nepote, Sextio Nigro qui Græce de medicina scripsit, Cassio Hemina, L. Pisone, Tuditano, Antiate.

Externis:

Summum esse, quod vocant Saturni sidus, ideoque minimum videri, & maximo ambire circulo, ac tricesimo anno ad brevissima sedis suæ principia regredi, certum est. Omnium autem errantium siderum meatus, interque ea Solis & Lunæ, contrarium mundo agere cursum, id est, lævum, illo semper in dexteram præcipiti. Et quamvis assidua conversione immensæ celeritatis attollantur ab eo, rapianturque in occasum, adverso tamen ire motu

per suos quæque passus: ita fieri, ne convolutus aer eamdem in partem æterna mundi vertigine, ignavo globo torpeat, sed findatur, adverso siderum verbere discretus & digestus. Saturni autem sidus gelidæ ac rigentis esse naturæ, multoque ex eo inferiorem Jovis circulum, & ideo motu celeriori duodenis circumagi annis Tertium Martis, quod quidam Herculis vocant, ignei, ardentis a Solis vicinitate, binis fere annis converti. Ideoque hujus ardore nimio, & rigore Saturni, interjectum ambobus, ex utroque temperari Jovem, salutaremque fieri. Deinde Solis meatum esse partium quidem trecentarum sexaginta: sed ut observatio umbrarum ejus redeat ad notas, quinos annis dies adjici, superque quartam partem diei. Quam ob causam quinto anno unus intercalaris dies additur, ut temporum ratio Solis itineri congruat.

Infra Solem ambit ingens sidus, appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum Solis ac Lunæ. Præveniens quippe & ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, ut Sol alter, diem maturans: contra ab occasu refulgens nuncupatur Vesper, ut prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens. Quam naturam ejus Pythagoras Samius primus deprehendit, Olympiade circiter LXII[a], qui fuit urbis Romæ annus CCXXII.

a) XXXII. & mox CXIII. Vid. not. ad h. l.

Jam magnitudine extra cuncta alia sidera est: claritatis quidem tantæ, ut unius hujus stellæ radiis umbræ reddantur. Itaque & in magno nominum ambitu est. Alii enim Junonis, alii Isidis, alii Matris Deûm appellavere. Hujus natura cuncta generantur in terris. Namque in alterutro exortu genitali rore conspergens, non terræ modo conceptus implet, verum animantium quoque omnium stimulat: Signiferi autem ambitum peragit trecenis & duodequinquagenis diebus, ab Sole numquam absistens partibus sex atque quadraginta longius, ut Timæo placet.

Simili ratione, sed nequaquam magnitudine aut vi proximum illi Mercurii sidus, a quibusdam appellatum Apollinis: inferiore circulo fertur novem diebus ocyore ambitu: modo ante Solis exortum, modo post occasum splendens, numquam ab eo viginti tribus partibus remotior, ut hic idem & Sosigenes docent. Ideo & peculiaris horum siderum ratio est, neque communis cum supra dictis. Namque ea & quarta parte cæli a Sole abesse, & tertia: & adversa Soli sæpe cernuntur: majoresque alios habent cuncta plenæ conversionis ambitus, in magni anni ratione dicendos.

9. Sed omnium admirationem vincit novissimum sidus, terrisque familiarissimum, & in tenebrarum remedium ab natura repertum, Lunæ. Multiformi hæc ambage torsit ingenia contemplantium, & pro-

ximum ignorari maxime sidus indignantium: crescens semper, aut senescens. Et modo curvata in cornua facie *, modo æqua portione divisa, modo sinuata in orbem: maculosa, eademque subito prænitens: immensa orbe pleno, ac repente nulla: alias pernox, alias sera, & parte diei Solis lucem adjuvans: deficiens, & in defectu tamen conspicua: quæ mensis exitu latet, cum laborare non creditur. Jam vero humilis, & excelsa, & ne id quidem uno modo, sed alias admota cælo, alias contigua montibus, nunc in Aquilonem elata, nunc in Austros dejecta: quæ singula in ea deprehendit hominum primus Endymion: & ob id amore ejus captus fama traditur. Non sumus profecto grati erga eos, qui labore curaque lucem nobis aperuere in hac luce: miraque humani ingenii peste, sanguinem, & cædes condere annalibus juvat, ut scelera hominum noscantur mundi ipsius ignaris.

Proxima ergo cardini, ideoque minimo ambitu, vicenis diebus septenisque, & tertia diei parte, peragit spatia eadem, quæ Saturni sidus altissimum triginta ( ut dictum est ) annis. Deinde morata in coitu Solis biduo, cum tardissime tricesima[a] luce rursus ad easdem vices exit: haud scio an omnium, quæ in cælo pernosci potuerunt, magistra: in

*) *facies*, sphalma, ni fallor, Ed. Brot. a) *e tric.*

duodecim mensium spatia oportere dividi annum, quando ipsa toties Solem redeuntem ad principia, consequitur: Solis fulgore reliqua siderum regi, siquidem in toto mutuata ab eo luce fulgere, qualem in repercussu aquæ volitare conspicimus: ideo molliore, & imperfecta vi solvere tantum humorem, atque etiam augere, quem Solis radii absumant: ideo & inæquali lumine aspici: quia ex adverso demum plena, reliquis diebus tantum ex se terris ostendat, quantum ex Sole ipsa concipiat: in coitu quidem non cerni, quoniam haustum omnem lucis adversa[a] illo regerat, unde acceperit: sidera vero haud dubie humore terreno pasci, quia orbe dimidio nonnumquam maculosa cernatur, scilicet nondum suppetente ad hauriendum ultra justa vi; maculas enim non aliud esse quam terræ raptas cum humore sordes:

10. Defectus autem suos, & Solis, rem in tota contemplatione naturæ maxime miram, & ostento similem, eorum magnitudinum, umbræque indices exsistere.

VII. Quippe manifestum est, Solem interventu Lunæ occultari, Lunamque terræ objectu: ac vices reddi, eosdem Solis radios Luna interpositu suo auferente terræ, terraque Lunæ. Hac subeun-

a) *aversa*.

te repentinas obduci tenebras, rursumque illius umbra sidus hebetari. Neque aliud esse noctem, quam terræ umbram. Figuram autem umbræ similem metæ, ac turbini inverso: quando mucrone tantum ingruat, neque Lunæ excedat altitudinem: quoniam nullum aliud sidus eodem modo obscuretur, & talis figura semper mucrone deficiat. Spatio quidem consumi umbras, indicio sunt volucrum præalti volatus. Ergo confinium illis est aeris terminus, initiumque ætheris. Supra Lunam pura omnia ac diuturnæ lucis plena. A nobis autem per noctem cernuntur sidera, ut reliqua lumina e tenebris. Et propter has causas nocturno tempore deficit Luna. Stati autem atque menstrui non sunt utrique defectus, propter obliquitatem Signiferi, Lunæque multivagos, ut dictum est, flexus, non semper in scrupulis partium congruente siderum motu.

VIII. 11. Hæc ratio mortales animos subducit in cælum; ac velut inde contemplantibus, trium maximarum rerum naturæ partium magnitudinem detegit. Non posset quippe totus Sol adimi terris intercedente Luna, si terra major esset quam Luna. Tertia ex utroque vastitas Solis aperitur, ut non sit necesse amplitudinem ejus oculorum argumentis, atque conjectura animi scrutari: immensum esse, quia arborum in limitibus porrectarum in quotlibet passuum millia umbras paribus jaciat in-

tervallis, tamquam toto spatio medius: & quia per æquinoctium omnibus in meridiana plaga habitantibus, simul fiat a vertice: item quia circa solstitialem circulum habitantium meridie ad Septemtrionem umbræ cadant, ortu vero ad occasum. Quæ fieri nullo modo possent nisi multo, quam terra, major esset: nec quod montem Idam exoriens latitudine exsuperet, dextra lævaque amplectens, præsertim tanto discretus intervallo.

Defectus Lunæ magnitudinem ejus haud dubia ratione declarat, sicut terræ parvitatem ipsa deficiens. Namque cum sint tres umbrarum figuræ; constetque, si par lumini sit materia, quæ jactat umbram, columnæ effigie jaci, nec habere finem: si vero major materia, quam lumen, turbinis recti, ut sit imum ejus angustissimum, & simili modo infinita longitudo: si minor materia, quam lux, metæ exsistere effigiem in cacuminis finem desinentem: talemque cerni umbram deficiente Luna: palam fit, ut nulla amplius relinquatur dubitatio, superari magnitudine terram: id quidem & tacitis ipsius naturæ indiciis. Cur enim partitis vicibus anni brumalis abscedit? ut noctium opacitate terras reficiat, exusturus haud dubie, & sic quoque exurens quadam in parte: tanta magnitudo est.

IX. 12. Et rationem quidem defectus utriusque, primus Romani generis in vulgus extulit Sulpicius

Gallus, qui Consul cum Marcello fuit: sed tum Tribunus militum, sollicitudine exercitu liberato, pridie quam Perseus rex superatus a Paulo est, in concionem ab imperatore productus ad prædicendam eclipsim, mox & composito volumine. Apud Græcos autem investigavit primus omnium Thales Milesius, Olympiadis XLVIII anno quarto, prædicto solis defectu, qui Alyatte rege factus est, urbis conditæ anno CLXX [a]. Post eos utriusque sideris cursum in sexcentos annos præcinuit Hipparchus, menses gentium, diesque & horas, ac situs locorum, & visus populorum complexus, ævo teste, haud alio modo, quam consiliorum naturæ particeps. Viri ingentes, supraque mortalia [b], tantorum numinum lege deprehensa, & misera hominum mente absoluta, in defectibus scelera, aut mortem aliquam siderum pavente: quo in metu fuisse Stesichori & Pindari vatum sublimia ora palam est deliquio Solis: at [c] in Luna veneficia arguente mortalitate, & ob id crepitu dissono auxiliante. Quo pavore ignarus causæ Nicias Atheniensium imperator, veritus classem portu educere, opes eorum afflixit. Macti ingenio este cæli interpretes, rerumque naturæ capaces, argumenti repertores, quo Deos hominesque

a) CLX. Vid. not. ad h. l. b) *mortalium naturam*. Cujus libri auctoritate hæc immutaverit, nos docere piget Cl. Broterium. c) &.

vicistis. Quis enim hæc cernens, & statos siderum (quoniam ita placuit appellare) labores, non suæ necessitati mortalis genitus ignoscat? Nunc confessa de iisdem breviter atque capitulatim attingam, ratione admodum necessariis locis strictimque reddita; nam neque instituti operis talis argumentatio est: neque omnium rerum afferri posse causas minus mirum est, quam constare in aliquibus.

X. 13. Defectus ducentis viginti tribus mensibus redire in suos orbes certum est; Solisque defectum non nisi novissima primave fieri Luna, quod vocant coitum: Lunæ autem non nisi plena, semperque citra quam proxime fuerit. Omnibus autem annis fieri utriusque sideris defectus statis diebus, horisque sub terra. Nec tamen cum superne fiunt, ubique cerni, aliquando propter nubila, sæpius globo terræ obstante convexitatibus mundi. Intra ducentos annos Hipparchi sagacitate compertum est, & Lunæ defectum aliquando quinto mense a priore fieri, Solis vero septimo: eumdem bis in triginta diebus supra terras occultari, sed ab aliis atque aliis hoc cerni: quæque sunt in hoc miraculo maxime mira, cum conveniat umbra terræ Lunam hebetari, nunc ab occasus parte hoc ei accidere, nunc ab exortus: & quanam ratione, cum Solis exortu umbra illa hebetatrix sub terra esse debeat, semel jam acciderit, ut in occasu Luna deficeret, utro-

que

que super terram conspicuo sidere. Nam ut quindecim diebus utrumque sidus quæreretur, & nostro ævo accidit, imperatoribus Vespasianis, patre III[a], filio iterum Consulibus.

XI. 14. Lunam semper aversis a Sole cornibus, si crescat, ortus spectare: si minuatur, occasus, haud dubium est. Lucere dodrantes semuncias horarum ab secunda adjicientem usque ad plenum orbem, detrahentemque in diminutionem. Intra quatuordecim autem partes Solis, semper occultam esse. Quo argumento amplior errantium stellarum, quam Lunæ magnitudo colligitur: quando illæ & a septenis interdum partibus emergant. Sed altitudo cogit minores videri: sicut affixas cælo Solis fulgor interdiu non cerni, cum æque ac noctu luceant: idque manifestum fiat defectu Solis, & præaltis puteis.

XII. 15. Errantium autem tres, quas supra Solem diximus sitas, occultantur, meantes cum eo. Exoriuntur vero matutino, discedentes partibus numquam amplius undenis. Postea radiorum ejus contactu reguntur, & in triquetro a partibus centum viginti stationes matutinas faciunt, quæ & primæ vocantur: mox in averso[b] a partibus centum octoginta, exortus vespertinos. Iterumque in centum

a) iv. Vid. not. ad h. l. b) *adverso*.

viginti ab alio latere appropinquantes, stationes vespertinas, quas & [a] secundas vocant; donec assecutus in partibus duodenis occultet illas : qui vespertini occasus appellantur. Martis stella ut propior, etiam ex quadrato sentit radios, ab nonaginta partibus : unde & nomen accepit is motus, primus & secundus nonagenarius dictus ab utroque exortu. Eadem stationalis senis mensibus commoratur in signis, alioqui bimestris, cum ceteræ utraque statione quaternos menses non impleant.

Inferiores autem duæ occultantur in coitu vespertino, simili modo: relictoque Sole, totidem in partibus faciunt exortus matutinos: atque a longissimis distantiæ suæ metis Solem insequuntur, adeptæque occasu matutino conduntur ac prætereunt. Mox eodem intervallo vespere exoriuntur, usque ad quos diximus terminos. Ab his retrogradiuntur ad Solem, & occasu vespertino delitescunt. Veneris stella & stationes duas, matutinam vespertinamque, ab utroque exortu facit, a longissimis distantiæ suæ finibus: Mercurii, stationes breviore momento, quam ut deprehendi possint.

XIII. Hæc est luminum occultationumque ratio, perplexior motu, multisque involuta miraculis. Siquidem magnitudines suas & colores mutant, &

a) & deest.

eædem ad Septemtrionem accedunt, abeuntque ad Austrum, terrisque propiores aut cælo repente cernuntur: in quibus aliter multa quam priores, tradituri, fatemur ea quoque illorum esse muneris, qui primi quærendi vias demonstraverint: modo ne quis desperet sæcula proficere semper. Pluribus de causis hæc omnia accidunt.

Prima circulorum, quos Græci ἀψῖδας in stellis vocant: etenim Græcis utendum erit vocabulis. Sunt autem hi sui cuique earum, aliique quam mundo: quoniam terra a verticibus duobus, quos appellaverunt Polos, centrum cæli est, nec non Signiferi, oblique inter eos siti. Omnia autem hæc constant ratione circini semper indubitata. Ergo ab alio cuique centro absides suæ exsurgunt, ideoque diversos habent orbes, motusque dissimiles, quoniam interiores absidas necesse est breviores esse.

16. Igitur a terræ centro absides altissimæ sunt: Saturno in Scorpione, Jovi in Virgine, Marti in Leone, Soli in Geminis, Veneri in Sagittario, Mercurio in Capricorno, mediis omnium partibus. Et e contrario, ad terræ centrum humillimæ atque proximæ. Sic fit, ut tardius moveri videantur, cum altissimo ambitu feruntur: non quia accelerent, tardentve naturales motus, qui certi ac singuli sunt illis, sed quia deductas ab summa abside

lineas coarctari ad centrum necesse est, sicut in rotis radios: idemque motus alias major, alias minor, centri propinquitate sentitur.

Altera sublimitatum causa; quoniam a suo centro absidas altissimas habent in aliis signis. Saturnus in Libræ parte vicesima, Jupiter Cancri quintadecima, Mars Capricorni vicesima octava, Sol Arietis nonadecima[a], Venus Piscium vicesima septima, Mercurius Virginis quintadecima[b], Luna Tauri tertia.

Tertia altitudinum ratio, cæli mensura, non circuli, intelligitur: subire eas, aut descendere per profundum aeris, oculis existimantibus.

Huic connexa latitudinum Signiferi, obliquitatisque, causa est. Per hunc stellæ, quas diximus, feruntur: nec aliud habitatur in terris, quam quod illi subjacet: reliqua a Polis squalent. Veneris tantum stella excedit eum binis partibus: quæ causa intelligitur efficere, ut quædam animalia & in desertis mundi nascantur. Luna quoque per totam latitudinem ejus vagatur, sed omnino non excedens eum. Ab his Mercurii stella laxissime, ut tamen e duodenis partibus ( tot enim sunt latitudinis ) non amplius octonas pererret, neque has æqualiter, sed duas medio ejus, & supra quatuor, infra

a) *decima nona*. b) *decima quinta*.

duas. Sol deinde medio fertur inter duas partes flexuoso Draconum meatu inæqualis: Martis stella quatuor medias, Jovis mediam & super eam duas: Saturni duabus, ut Sol. Hæc erit latitudinum ratio ad Austrum descendentium, aut ad Aquilonem subeuntium. Hac constare & tertiam illam a terra subeuntium in cælum, & pariter scandi eam quoque existimavere plerique falso; qui ut coarguantur, aperienda est subtilitas immensa, & omnes eas complexa causas.

Convenit stellas in occasu vespertino proximas esse terræ & latitudine & altitudine; exortusque matutinos in initio cujusque fieri; stationes in mediis latitudinum articulis, quæ vocant ecliptica. Perinde confessum est, motum augeri, quamdiu in vicino sint terræ; cum abscedant in altitudinem, minui. Quæ ratio Lunæ maxime sublimitatibus adprobatur. Æque non est dubium, in exortibus matutinis etiamnum augeri; atque a stationibus primis tres superiores diminui usque ad stationes secundas. Quæ cum ita sint, manifestum erit ab exortu matutino latitudines scandi; quoniam in eo primum habitu incipiant parcius adjici motus; in stationibus vero primis altitudinem subire, quoniam tum primum incipiat detrahi numerus, stellæque retroire. Cujus rei ratio privatim reddenda est. Percussæ in qua diximus parte, & triangulo Solis

radio inhibentur rectum agere cursum, & ignea vi levantur in sublime. Hoc non protinus intelligi potest visu nostro, ideoque existimantur stare, unde & nomen accepit statio. Progreditur deinde ejusdem radii violentia, & retroire cogit vapor repercussus. Multo id magis in vespertino earum exortu, toto Sole averso, cum in summas absidas expelluntur, minimeque cernuntur, quoniam altissime absunt, & minimo feruntur motu; tanto minore, cum hoc in altissimis absidum evenit signis. Ab exortu vespertino latitudo descenditur, parcius jam se minuente motu; non tamen ante stationes secundas augente, cum & altitudo descenditur, superveniente ab alio latere radio, eademque vi rursus ad terras deprimente, quæ sustulerit in cælum ex priore triquetro. Tantum interest, subeant radii, an superveniant. Multoque eadem magis in vespertino occasu accidunt. Hæc est superiorum stellarum ratio; difficilior reliquarum, & a nullo ante nos reddita.

XIV. 17. Primum igitur dicatur, cur Veneris stella nunquam longius XLVI partibus, Mercurius viginti tribus a Sole abscedant, sæpe citra eas ad Solem reciprocent. Conversas habent utræque absidas, ut infra Solem sitæ: tantumque circulis earum sub terra est, quantum superne prædictarum: & ideo non possunt abesse amplius, quoniam cur-

vatura absidum ibi non habet longitudinem majorem. Ergo utrique simili ratione modum statuunt absidum suarum margines, ac spatia longitudinis latitudinum evagatione pensant. At enim cur non semper ad quadraginta sex, & ad partes viginti tres perveniunt? Immo vero. Sed ratio canonica fallit. Namque apparet, absidas quoque earum moveri, quod numquam transeant Solem. Itaque cum in partem ipsam ejus incidere margines alterutro latere, tum & stellæ ad longissima sua intervalla pervenire intelliguntur: cum citra fuere margines totidem partibus, & ipsæ ocyus redire creduntur, cum sit illa semper utrique extremitas summa. Hinc & ratio motuum conversa intelligitur. Superiores enim celerrime feruntur in occasu vespertino, hæ tardissime: illæ a terra altissime absunt, cum tardissime moventur: hæ, cum ocyssime. Quia sicut in illis propinquitas centri accelerat, ita in his extremitas circuli. Illæ ab exortu matutino minuere celeritatem incipiunt, hæ vero augere: illæ retro cursum agunt a statione matutina usque ad vespertinam. Veneris, a vespertina usque ad matutinam. Incipit autem ab exortu matutino latitudinem scandere, altitudinem vero ac Solem insequi a statione matutina, ocyssima in occasu matutino, & altissima. Degredi[a] autem latitudine,

a) *Digredi* & sic alibi.

motumque minuere ab exortu vespertino: retro quidem ire, simulque altitudine degredi a statione vespertina. Mercurii rursus stella utroque modo scandere ab exortu matutino, degredi vero latitudine a vespertino; consecutoque Sole ad quindecim partium intervallum, consistit quatriduo prope immobilis. Mox ab altitudine descendit, retroque graditur ab occasu vespertino usque ad exortum matutinum. Tantumque hæc, & Luna, totidem diebus, quot subiere, descendunt. Veneris quindecies pluribus subit. Rursus Saturni & Jovis duplicato degrediuntur; Martis etiam quadruplicato. Tanta est naturæ varietas. Sed ratio evidens: nam quæ in vaporem Solis nituntur, etiam descendunt ægre.

XV. Multa promi amplius circa hæc possunt secreta naturæ, legesque, quibus ipsa serviat. Exempli gratia: in Martis sidere, cujus est maxime inobservabilis cursus, numquam id stationem facere Jovis sidere triquetro; raro admodum sexaginta partibus discreto, qui numerus sexangulas mundi efficit formas; nec exortus, nisi in duobus signis tantum, Cancri & Leonis, simul edere. Mercurii vero sidus in Piscibus exortus vespertinos raros facere, creberrimos in Virgine; in Libra matutinos. Item matutinos in Aquario, rarissimos in Leone. Retrogradum in Tauro & Geminis non fieri; in Cancro vero non citra vicesimam quintam

partem. Lunam bis coitum cum Sole & in nullo alio signo facere quam Geminis; non coire aliquando in Sagittario tantum. Novissimam vero primamque eadem die vel nocte, nullo alio in signo quam Ariete, conspici; id quoque paucis mortalium contingit. Et inde fama cernendi Lynceo. Non comparere in cælo Saturni sidus, & Martis cum plurimum diebus centum septuaginta; Jovis triginta sex, aut cum minimum, denis detractis diebus; Veneris sexaginta novem, aut cum minimum, quinquaginta duobus; Mercurii tredecim, aut cum plurimum, octodecim.

XVI. 18. Colores ratio altitudinum temperat: siquidem earum similitudinem trahunt, in quarum aera venere subeundo, tingitque adpropinquantes utralibet alieni meatus circulus. Frigidior in pallorem, ardentior in ruborem, ventosus in horrorem; Sol atque commissuræ absidum, extremæque orbitæ atram in obscuritatem. Suus quidem cuique color est, Saturno candidus, Jovi clarus, Marti igneus, Lucifero candens, Vesperi refulgens, Mercurio radians, Lunæ blandus, Soli, cum oritur, ardens; postea radians. His causis connexo visu & earum quæ cælo continentur. Namque modo multitudo conferta inest circa dimidios orbes Lunæ, placida nocte leniter illustrante eas; modo raritas, ut fugisse miremur, plenilunio abscondente;

aut cum Solis, suprave dictarum radii, visus perstrinxère nostros. Et ipsa autem Luna ingruentium Solis radiorum haud dubie differentias sentit, hebetante cetero inflexos mundi convexitate eos, præterquam ubi recti angulorum competunt ictus. Itaque in quadrato Solis dividua est, in triquetro seminani ambitur orbe, impletur autem in adverso; rursusque minuens easdem effigies paribus edit intervallis, simili ratione, qua supra Solem tria sidera.

XVII. 19. Sol autem ipse quatuor differentias habet, bis æquata nocte diei, vere & autumno, & in centrum incidens terræ, octavis in partibus Arietis ac Libræ; bis permutatis spatiis, in auctum diei, bruma octava in parte Capricorni, noctis vero, solstitio totidem in partibus Cancri. Inæqualitatis causa obliquitas est Signiferi, cum pars æqua mundi super subterque terras omnibus fiat momentis. Sed quæ recta in exortu suo consurgunt signa, longiore tractu tenent lucem; quæ vero obliqua, ocyore transeunt spatio.

XVIII. 20. Latet plerosque, magna cæli asse-ctatione compertum a principibus doctrinæ viris, superiorum trium siderum ignes esse, qui decidui ad terras fulminum nomen habeant; sed maxime ex iis medio loco siti. Fortassis quoniam contagium nimii humoris ex superiore circulo, atque ardoris

ex subjecto, per hunc modum egerat. Ideoque dictum Jovem fulmina jaculari. Ergo ut e flagrante ligno carbo cum crepitu, sic a sidere cælestis ignis exspuitur, præscita secum afferens; ne abdicata quidem sui parte in divinis cessante operibus. Idque maxime turbato fit aere; quia collectus humor abundantiam stimulat, aut quia turbatur quodam ceu gravidi sideris partu.

XIX. 21. Intervalla quoque siderum a terra multi indagare tentaverunt: & Solem abesse a Luna undeviginti partes, quantum Lunam ipsam a terra, prodiderunt. Pythagoras vero vir sagacis animi, a terra ad Lunam, centum viginti sex millia stadiorum esse collegit. Ab ea usque ad Solem, duplum. Inde ad duodecim signa, triplicatum; in qua sententia & Gallus Sulpicius noster fuit.

XX. 22. Sed Pythagoras interdum ex musica ratione appellat tonum, quantum absit a terra Luna. Ab ea ad Mercurium, spatii ejus dimidium; & ab eo ad Venerem fere tantumdem. A qua ad Solem sescuplum[a]; a Sole ad Martem, tonum, id est, quantum ad Lunam a terra. Ab eo usque Jovem, dimidium; & ab eo ad Saturnum dimidium, & inde sescuplum[a] ad Signiferum. Ita septem tonos effici, quam diapason harmoniam vocant, hoc est,

a) *sesquiplum.*

universitatem concentus. In ea Saturnum Dorio moveri phthongo, Jovem Phrygio, & in reliquis similia, jucunda magis, quam necessaria subtilitate.

XXI. 23. Stadium centum viginti quinque nostros efficit passus, hoc est, pedes sexcentos viginti quinque. Posidonius non minus quadraginta stadiorum a terra altitudinem esse, in qua nubila, ac venti, nubesque proveniant. Inde purum liquidumque, & imperturbatæ lucis aerem. Sed a turbido ad Lunam vicies centum millia stadiorum. Inde ad Solem quinquies millies. Eo spatio fieri, ut tam immensa ejus magnitudo non exurat terras. Plures autem[a] nongentis stadiis in altitudinem nubes subire prodiderunt. Incomperta hæc & inextricabilia; sed tam prodenda, quam sunt prodita: in queis tamen una ratio geometricæ collectionis numquam fallacis possit non repudiari, si cui libeat altius ista persequi. Nec ut mensura, ( id enim velle pæne dementis otii est,) sed ut tantum æstimatio conjectanti constet animo. Nam cum trecentis sexaginta & fere sex partibus orbis Solis, ex circuitu ejus, patere appareat circulum, per quem meat; semperque dimetiens tertiam partem ambitus, & tertiæ paulo minus septimam colligat; apparet, dempta ejus dimidia ( quoniam terra centralis interveniat)

a) *P. a. nubes n. s. i. a. s. p.*

sextam fere partem hujus immensi spatii, quod circa terram circuli solaris animo comprehenditur, inesse altitudinis spatio: Lunæ vero duodecimam; quoniam tanto breviore, quam Sol, ambitu currit; ita ferri eam in medio Solis ac terræ. Mirum quo procedat improbitas cordis humani, parvulo aliquo invitata successu, sicut in supra dictis occasionem impudentiæ ratio largitur; ausique divinare Solis ad terram spatia, eadem ad cælum agunt, quoniam sit medius Sol: ut protinus mundi quoque ipsius mensura veniat ad digitos. Quantas enim dimetiens habet septimas, tantas habere circulum duo & vicesimas, tamquam plane a perpendiculo mensura cæli constet.

Ægyptia ratio, quam Petosiris & Necepsos ostendere, singulas partes in lunari circulo ( ut dictum est) minimo, triginta tribus stadiis paulo amplius patere colligit: in Saturni amplissimo duplum: in Solis, quem medium esse diximus, utriusque mensuræ dimidium. Quæ computatio plurimum habet pudoris: quoniam ad Saturni circulum addito Signiferi ipsius intervallo, innumerabilis multiplicatio efficitur.

XXII. 24. Restant pauca de mundo: namque & in ipso cælo stellæ repente nascuntur. Plura earum genera.

25. Cometas Græci vocant, nostri crinitas, hor-

rentes crine sanguineo, & comarum modo in vertice hispidas. Iidem Pogonias, quibus, inferiore ex parte, in speciem barbæ longæ, promittitur juba. Acontiæ jaculi modo vibrantur, ocyssimo significatu. Hæc fuit de qua quinto consulatu suo Titus imperator Cæsar præclaro carmine perscripsit [a], ad hunc diem novissime visa. Easdem breviores & in mucronem fastigatas [b], Xiphias vocavere, quæ sunt omnium pallidissimæ, & quodam gladii nitore, ac sine ullis radiis; quos Disceus, suo nomini similis, colore autem electro, raros e margine emittit. Pitheus doliorum cernitur figura, in concavo fumidæ lucis. Ceratias cornus speciem habet, qualis fuit cum Græcia apud Salamina depugnavit. Lampadias ardentes imitatur faces; Hippeus equinas jubas, celerrimi motus, atque in orbem circa se euntes. Fit & candidus cometes, argenteo crine, ita refulgens, ut vix contueri liceat, specieque humana Dei effigiem in se ostendens. Fiunt & hirti villorum specie, & nube aliqua circumdati. Semel adhuc jubæ effigies mutata in hastam est, Olympiade centesima nona, Urbis anno trecentesimo nonagesimo octavo. Brevissimum, quo cernerentur, spatium septem dierum annotatum est; longissimum, centum [c] octoginta.

a) *præscripsit* sphalma Ed. Brot. b) *fastigiatas*.
c) *centum* abest.

XXIII. Moventur autem alii errantium modo, alii immobiles hærent. Omnes ferme sub ipso septemtrione, aliqua ejus parte non certa, sed maxime in candida, quæ lactei circuli nomen accepit. Aristoteles tradit & simul plures cerni; nemini compertum alteri, quod equidem sciam. Ventos autem ab iis graves æstusque significari. Fiunt & hibernis mensibus, & in austrino polo, sed ibi citra ullum jubar. Diraque comperta Æthiopum & Ægypti populis, cui nomen ævi ejus rex dedit Typhon, ignea specie, ac spiræ modo intorta, visu quoque torvo, nec stella verius, quam quidam igneus nodus. Sparguntur aliquando & errantibus stellis, ceterisque crines. Sed cometes numquam in occasura parte cæli est; terrificum magna ex parte sidus, ac non leviter piatum, ut civili motu Octavio Consule, iterumque Pompeii & Cæsaris bello. In nostro vero ævo circa veneficium, quo Claudius Cæsar imperium reliquit Domitio Neroni; ac deinde principatu ejus, assiduum prope ac sævum. Referre arbitrantur, in quas partes sese jaculetur, aut cujus stellæ vires accipiat, quasque similitudines reddat, & quibus in locis emicet. Tibiarum specie, musicæ arti portendere; obscenis autem moribus, in verendis partibus signorum; ingeniis & eruditioni, si triquetram figuram quadratamve paribus angulis ad aliquos perennium stellarum situs edant;

venena fundere, in capite septemtrionalis, austrinæve Serpentis. Cometes in uno totius orbis loco colitur in templo Romæ, admodum faustus Divo Augusto judicatus ab ipso; qui incipiente eo, apparuit ludis quos faciebat Veneri Genetrici, non multo post obitum patris Cæsaris, in collegio ab eo instituto. Namque his verbis id gaudium prodidit. ,, Iis ipsis ludorum meorum diebus, sidus crinitum ,, per septem dies in regione cæli, quæ sub sep- ,, temtrionibus est, conspectum. Id oriebatur circa ,, undecimam horam diei, clarumque & omnibus e ,, terris conspicuum fuit. Eo sidere significari vul- ,, gus credidit, Cæsaris animam inter Deorum immor- ,, talium numina receptam; quo nomine id insigne ,, simulacro capitis ejus, quod mox in foro conse- ,, cravimus, adjectum est‘‘. Hæc ille in publicum, interiore gaudio sibi illum natum, seque in eo nasci interpretatus est; &, si verum fatemur, salutare id terris fuit. Sunt qui & hæc sidera perpetua esse credant, suoque ambitu ire; sed non nisi relicta ab Sole cerni. Alii vero, qui nasci humore fortuito, & ignea vi, ideoque solvi.

XXIV. 26. Idem Hipparcus numquam satis laudatus, ut quo nemo magis adprobaverit cognationem cum homine siderum, animasque nostras partem esse cæli, novam stellam & aliam in ævo suo genitam deprehendit; ejusque motu, qua die fulsit,

ad

ad dubitationem est adductus, anne hoc sæpius fieret, moverenturque & eæ, quas putamus affixas. Idemque ausus, rem etiam Deo improbam, adnumerare posteris stellas, ac sidera ad nomen expungere; organis excogitatis, per quæ singularum loca, atque magnitudines signaret; ut facile discerni posset ex eo, non modo, an obirent, nascerenturve, sed an omnino aliqua transirent, moverenturve; item an crescerent, minuerenturque, cælo in hereditate cunctis relicto, si quisquam, qui cretionem eam caperet, inventus esset.

XXV. Emicant & faces, non nisi cum decidunt visæ; qualis Germanico Cæsare gladiatorum spectaculum edente, præter ora populi meridiano transcucurrit. Duo genera earum; Lampades vocant plane faces, alterum Bolidas, quale Mutinensibus malis visum est. Distant quod faces vestigia longa faciunt, priore ardente parte; Bolis vero perpetua ardens, longiorem trahit limitem.

XXVI. Emicant & trabes simili modo, quas δόκους vocant; qualis cum Lacedæmonii classe victi, imperium Græciæ amisere. Fit & cæli ipsius hiatus, quod vocant chasma.

XXVII. 27. Fit & sanguinea specie (quo nihil terribilius mortalium timori est) incendium, ad terras cadens inde, sicut Olympiadis centesimæ septimæ anno tertio, cum rex Philippus Græciam qua-

teret. Atque hæc ego statis temporibus naturæ, ut cetera, arbitror exsistere; non, ut plerique, variis de causis, quas ingeniorum acumen excogitat; quippe ingentium malorum fuere prænuntia: sed ea accidisse, non quia hæc facta sunt, arbitror; verum hæc ideo facta, quia incasura erant illa. Raritate autem occultam eorum esse rationem, ideoque non, sicut exortus supra dictos, defectusque, & multa alia, nosci.

XXVIII. 28. Cernuntur & stellæ cum Sole totis diebus, plerumque & circa Solis orbem, ceu spiceæ coronæ, & versicolores circuli: qualiter Augusto Cæsare in prima juventa Urbem intrante, post obitum patris, ad nomen ingens capessendum.

29. Exsistunt eædem coronæ circa Lunam, & circa nobilia astra, cælo quoque inhærentia.

XXIX. Circa Solem arcus apparuit, L. Opimio, Q. Fabio Consulibus: orbis, C. [a] Porcio, M. Acilio.

30. Circulus rubri coloris L. Julio, P. Rutilio Coss.

XXX. Fiunt prodigiosi, & longiores Solis defectus, qualis occiso Dictatore Cæsare, & Antoniano bello, totius pæne anni pallore continuo.

XXXI. 31. Et rursus plures Soles simul cernuntur: nec supra ipsum, nec infra, sed ex obliquo: numquam juxta, nec contra terram: nec noctu: sed aut oriente, aut occidente. Semel & meridie

a) L.

conspecti in Bosporo[a] produntur, qui a matutino tempore duraverunt in occasum. Trinos Soles antiqui sæpius videre: sicut Sp. Postumio, Q. Mucio; & Q. Marcio, M. Porcio; & M. Antonio, P. Dolabella; & M. Lepido, L. Planco Coss. Et nostra ætas vidit Divo Claudio principe, consulatu ejus, Cornelio Orfito collega. Plures simul, quam tres, visi, ad hoc ævi numquam produntur.

XXXII. 32. Lunæ quoque trinæ, ut Cn. Domitio, C. Fannio Consulibus, apparuere: quos plerique appellaverunt Soles nocturnos.

XXXIII. 33. Lumen de cælo noctu visum est, C. Cæcilio, Cn. Papirio Consulibus, & sæpe alias, ut diei species noctu luceret.

XXXIV. 34. Clypeus ardens ab occasu ad ortum scintillans transcucurrit[b], Solis occasu, L. Valerio, C. Mario Consulibus.

XXXV. 35. Scintillam e stella cadere, & augeri terræ adpropinquantem, ac postquam Lunæ magnitudine facta sit, illuxisse, ceu nubilo die: dein cum in cælum se reciperet, lampadem factam, semel umquam proditur, Cn. Octavio, C. Scribonio Coss. Vidit hoc Silanus Proconsul cum comitatu suo.

XXXVI. 36. Fieri videntur, & discursus stel-

a) *Borpboro.* b) *transcurrit.*

larum, numquam temere, ut non ex ea parte truces venti cooriantur.

XXXVII. 37. Exsistunt stellæ & in mari terrisque. Vidi nocturnis militum vigiliis, inhærere pilis pro vallo fulgorem effigie ea. Et antennis navigantium, aliisque navium partibus, ceu vocali quodam sono insistunt, ut volucres sedem ex sede mutantes: graves, cum solitariæ venere, mergentesque navigia: & si in carinæ ima deciderint, exurentes: geminæ autem salutares, & prosperi cursus prænuntiæ: quarum adventu fugari diram illam ac minacem, appellatamque Helenam, ferunt. Et ob id Polluci & Castori id numen adsignant: eosque in mari Deos invocant. Hominum quoque capita vespertinis horis, magno præsagio circumfulgent. Omnia incerta ratione, & in naturæ majestate abdita.

XXXVIII. 38. Hactenus de mundo ipso sideribusque. Nunc reliqua cæli memorabilia. Namque & hoc cælum appellavere majores, quod alio nomine aera: omne quod inani simile, vitalem hunc spiritum fundit. Infra Lunam hæc sedes, multoque inferior, ( ut animadverto propemodum constare) infinitum ex superiore natura aeris, infinitum & terreni halitus miscens, utraque sorte confunditur. Hinc nubila, tonitrua, & alia fulmina. Hinc grandines, pruinæ, imbres, procellæ, turbines. Hinc plurima mortalium mala, & rerum naturæ pugna

secum. Terrena in cælum tendentia deprimit siderum vis: eademque quæ sponte non subeunt, ad se trahit. Decidunt imbres, nebulæ subeunt, siccantur amnes, ruunt grandines, torrent radii, & terram in medium undique impellunt. Iidem infracti resiliunt: &, quæ potuere, auferunt secum. Vapor ex alto cadit, rursumque in altum redit. Venti ingruunt inanes, iidemque cum rapina remeant. Tot animalium haustus spiritum e sublimi trahit. At ille contra nititur, tellusque, ut inani cælo spiritum infundit. Sic ultro citroque commeante natura, ut tormento aliquo, mundi celeritate discordia accenditur. Nec stare pugnæ licet, sed assidue rapta convolvitur, & circa terram immenso rerum causas globo ostendit: subinde per nubes cælum aliud obtexens. Ventorum hoc regnum. Itaque præcipua eorum natura ibi, & ferme reliquas complexa causas: quoniam & tonitruum, & fulminum jactus, horum violentiæ plerique adsignant. Quin & ideo lapidibus pluere interim, quod vento sint rapti, & multa similiter. Quam ob rem plura simul dicenda sunt.

XXXIX. 39. Tempestatum, rerumque quasdam statas esse causas: quasdam vero fortuitas, aut adhuc rationis incompertæ, manifestum est. Quis enim æstates, & hiemes, quæque in temporibus annua vice intelliguntur, siderum motu fieri dubitet? Ut

Solis ergo natura temperando intelligitur anno, sic reliquorum quoque siderum propria est quibusque vis, & ad suam cuique naturam fertilis. Alia sunt in liquorem soluti humoris fecunda, alia concreti in pruinas, aut coacti in nives, aut glaciati in grandines: alia flatus, alia teporis, alia vaporis, alia roris, alia rigoris. Nec vero hæc tanta debent existimari, quanta cernuntur: cum esse eorum nullum minus Luna tam immensæ altitudinis ratio declaret. Igitur in suo quæque motu naturam suam exercent: quod manifestum Saturni maxime transitus imbribus faciunt. Nec meantium modo siderum hæc vis est, sed multorum etiam adhærentium cælo, quoties errantium accessu impulsa, aut conjectu radiorum exstimulata sunt: qualiter in Suculis sentimus accidere, quas Græci ob id pluvio nomine Hyadas appellant. Quin & sua sponte quædam, statisque temporibus, ut [a] Hœdorum exortus. Arcturi vero sidus non ferme sine procellosa grandine emergit.

XL. 40. Nam Caniculæ exortu accendi Solis vapores quis ignorat? cujus sideris effectus amplissimi in terra sentiuntur. Fervent maria exoriente eo, fluctuant in cellis vina, moventur stagna. Orygem appellat Ægyptus feram, quam in exortu ejus contra stare, & contueri tradit, ac velut adorare, cum

a) *ut* abest.

sternuerit. Canes quidem toto eo spatio maxime in rabiem agi, non est dubium.

XLI. 41. Quin partibus quoque signorum quorumdam sua vis inest, ut[a] autumnali æquinoctio, brumaque, cum tempestatibus confici sidus intelligimus. Nec imbribus tantum tempestatibusque, sed multis & corporum, & ruris experimentis. Afflantur alii sidere, alii commoventur, statis temporibus, alvo, nervis, capite, mente. Olea, & populus alba, & salices, solstitio folia circumagunt. Floret ipso brumali die suspensa in tectis arentis herba pulegii, rumpuntur intentæ spiritu membranæ. Miretur hoc, qui non observet quotidiano experimento, herbam unam, quæ vocatur heliotropium, abeuntem Solem intueri semper, omnibusque horis cum eo verti, vel nubilo obumbrante. Jam quidem lunari potestate ostrearum, conchyliorumque, & concharum omnium corpora augeri, ac rursus minui. Quin & soricum fibras respondere numero Lunæ, exquisivere diligentiores: minimumque animal formicam, sentire vires sideris, interlunio semper cessantem. Quo turpior homini inscitia est, fatenti præcipue jumentorum quorumdam in oculis morbos cum Luna increscere, ac minui. Patrocinatur vastitas cæli immensa, discreta altitudine in duo atque septuaginta signa. Hæ sunt rerum, aut animantium

a) *at*.

effigies, in quas digessere cælum periti. In his quidem mille sexcentas adnotavere stellas, insignes videlicet effectu, visuve. Exempli gratia, in cauda Tauri septem, quas appellavere Vergilias, in fronte Suculas; Booten, qui sequitur Septemtriones.

XLII. 42. Extra has causas non negaverim exsistere imbres ventosque: quoniam humidam a terra, alias vero propter vapores fumidam exhalari caliginem certum est. Nubesque liquore egresso in sublime, aut ex aere coacto in liquorem, gigni. Densitas earum, corpusque, haud dubio conjectatur argumento, cum Solem obumbrent, perspicuum alias etiam urinantibus in quamlibet profundam aquarum altitudinem.

XLIII. 43. Igitur non eam inficias, posse in has & ignes superne stellarum decidere, quales sereno sæpe cernimus, quorum ictu concuti aera verum est, quando & tela vibrata stridunt: Cum vero in nubem pervenerint, vaporem dissonum gigni, ut candente ferro in aquam demerso, & fumidum verticem volvi. Hinc nasci procellas. Et si in nube luctetur flatus aut vapor, tonitrua edi: si erumpat ardens, fulmina: si longiore tractu nitatur, fulgetra. His findi nubem, illis perrumpi. Et esse tonitrua impactorum ignium plagas: ideoque protinus coruscare igneas nubium rimas. Posse & repulsu siderum depressum, qui a terra meaverit, spiritum

nube cohibitum tonare, natura strangulante sonitum dum rixetur, edito fragore cum erumpat, ut in membrana spiritu intenta. Posse & attritu, dum in præceps feratur, illum, quisquis est, spiritum accendi. Posse & conflictu nubium elidi, ut duorum lapidum, scintillantibus fulgetris. Sed hæc omnia esse fortuita. Hinc bruta fulmina & vana, ut quæ nulla veniant ratione naturæ. His percuti montes, his maria, omnesque alios irritos jactus. Illa vero fatidica ex alto, statisque de causis, & ex suis venire sideribus.

XLIV. *Simili* modo ventos, vel potius flatus, posse & ex arido siccoque anhelitu terræ gigni non negaverim: posse & aquis aera exspirantibus, qui neque in nebulam densetur, nec crassescat in nubes: posse & Solis impulsu agi: quoniam ventus non aliud intelligatur, quam fluxus aeris: pluribusque etiam modis. Namque & e fluminibus, ac sinubus, & e mari videmus, & quidem tranquillo, & alios quos vocant Altanos, e terra consurgere. Qui quidem cum e mari redeunt, Tropæi vocantur: si pergunt, Apogei.

44. Montium vero flexus crebrique vertices, & conflexa cubito, aut confracta in humeros juga, concavi vallium sinus, scindentes inæqualitate ideo resultantem aera, (quæ causa etiam voces multis in locis reciprocas facit sine fine,) ventos generant.

45. Jam quidam[a] & specus, qualis in Dalmatiae ora, vasto in præceps hiatu, in quem dejecto levi pondere, quamvis tranquillo die, turbini similis emicat procella. Nomen loco est Senta. Quin & in Cyrenaica provincia rupes quædam Austro traditur sacra, quam profanum sit attrectari hominis manu, confestim Austro volvente arenas. In domibus etiam multis, manu facta inclusa opacitate conceptacula auras suas habent, adeo causa non deest.

XLV. Sed plurimum interest, flatus sit, an ventus. Illos statos atque perspirantes: quos non tractus aliquis, verum terræ sentiunt: qui non aura, non procella, sed mares appellatione quoque ipsa venti sunt: sive assiduo mundi incitatu, & contrario siderum occursu nascuntur; sive hic est ille generabilis rerum naturæ spiritus, huc illuc tamquam in utero aliquo vagus: sive disparili errantium siderum ictu, radiorumque multiformi jactu flagellatus aer, sive a suis sideribus exeunt his propioribus, sive ab illis cælo affixis cadunt, palam est illos quoque legem naturæ habere non ignotam, etiamsi nondum percognitam.

46. Viginti amplius auctores Græci veteres prodidere de his observationes. Quo magis miror, orbe discordi, & in regna, hoc est, in membra, diviso, tot viris curæ fuisse, tam ardua inventu: in-

a) *quidem*.

ter bella præsertim & infida hospitia, piratis etiam omnium mortalium hostibus transitus ferme tenentibus: ut hodie quædam in suo quisque tractu ex eorum commentariis, qui numquam eo accessere, verius noscat, quam indigenarum scientia: nunc vero pace tam festa, tam gaudente proventu rerum artiumque principe, omnino nihil addisci nova inquisitione, immo ne veterum quidem inventa perdisci. Non erant majora præmia, in multos dispersa fortunæ magnitudine: & ista plures sine præmio alio, quam posteros juvandi, eruerunt. MORES HOMINUM SENUERE, NON FRUCTUS: & immensa multitudo aperto, quodcumque est, mari, hospitalique litorum omnium appulsu, navigat: sed lucri, non scientiæ gratia. Nec reputat cæca mens, & tantum avaritiæ intenta, id ipsum scientia posse tutius fieri. Quapropter scrupulosius, quam instituto fortassis conveniat operi, tractabo ventos, tot millia navigantium cernens.

XLVI. 47. Veteres quatuor omnino servavere, per totidem mundi partes, (ideo nec Homerus plures nominat) hebeti, ut mox judicatum est, ratione. Secuta ætas octo addidit, nimis subtili, & concisa. Proximis inter utramque media placuit, ad brevem ex numerosa additis quatuor. Sunt ergo bini in quatuor cæli partibus: ab oriente æquinoctiali Subsolanus, ab oriente brumali Vulturnus: illum

Apelioten, hunc Eurum Græci appellant. A meridie Auster, & ab occasu brumali Africus: Noton, & Liba nominant. Ab occasu æquinoctiali Favonius, ab occasu solstitiali Corus: Zephyrum, & Argesten vocant. A septemtrionibus, Septemtrio: interque eum & exortum solstitialem, Aquilo: Aparctias, & Boreas, dicti. Numerosior ratio quatuor his interjecerat, Thrascian, media regione inter septemtrionem, & occasum solstitialem: itemque Cæciam, media inter Aquilonem & exortum æquinoctialem, ab ortu solstitiali: Phœnicem, media regione inter ortum brumalem & meridiem. Item inter Liba & Noton, compositum ex utroque medium, inter meridiem & hibernum occidentem, Libonoton. Nec finis. Alii quippe Mesen nomine etiamnum addidere inter Borean & Cæcian: & inter Eurum & Noton, Euronotum. Sunt etiam quidam peculiares quibusque gentibus venti, non ultra certum procedentes tractum, ut Atheniensibus Sciron, paulum ab Argeste deflexus, reliquæ Græciæ ignotus. Aliubi elatior, idem Olympias vocatur. Consuetudo omnibus his nominibus Argesten intelligit: & Cæcian aliqui vocant Hellespontiam, & eosdem alibi aliter. Item in Narbonensi provincia clarissimus ventorum est Circius: nec ullo violentia inferior, Ostiam plerumque recta Ligustico mari perferens: idem non modo in reliquis partibus cæli

ignotus est, sed ne Viennam quidem, ejusdem provinciæ urbem, attingens, paucis ante limitibus jugi modici occursu tantus ille ventorum coercetur. Et Austros in Ægyptum penetrare negat Fabianus. Quo fit manifesta lex naturæ, ventis etiam & tempore, & fine dicto.

XLVII. Ver ergo aperit navigantibus maria: cujus in principio, Favonii hibernum molliunt cælum, Sole Aquarii XXV obtinente partem. Is dies sextus est ante Februarias Idus. Competit ferme & hoc omnibus, quos deinde ponam, per singulas intercalationes uno die anticipantibus: rursumque lustro sequenti ordinem servantibus. Favonium quidam a. d. VIII Kalendas Martii, Chelidoniam vocant, ab hirundinis visu: nonnulli vero Ornithian, uno & LXX [a] in die post brumam ab adventu avium, flantem per dies novem. Favonio contrarius est, quem Subsolanum appellavimus. Datus est autem huic exortus Vergiliarum in totidem partibus Tauri, sex diebus ante Majas Idus, quod tempus austrinum est, huic vento Septemtrione contrario. Ardentissimo autem æstatis tempore exoritur Caniculæ sidus, Sole primam partem Leonis ingrediente: qui dies XV ante Augustas Kalendas est. Hujus exortum diebus octo ferme Aquilones antecedunt, quos Prodromos appellant. Post biduum autem exor-

a) LX. *die* absque *in*. Vid. not. ad h. l.

tus, iidem Aquilones constantius perflant his diebus, quos Etesias appellant. Mollire eos creditur Solis vapor geminatus ardore sideris : nec ulli ventorum magis stati sunt. Post eos rursus Austri frequentes, usque ad sidus Arcturi, quod exoritur undecim diebus ante æquinoctium Autumni. Cum hoc Corus incipit. Corus autumnat : huic est contrarius Vulturnus. Post id æquinoctium diebus fere quatuor & quadraginta, Vergiliarum occasus hiemem inchoat : quod tempus in tertio Idus Novembris incidere consuevit : hoc est Aquilonis hiberni, multumque æstivo illi dissimilis, cujus ex adverso est Africus. Ante brumam autem septem diebus totidemque postea, sternitur mare halcyonum feturæ, unde nomen hi dies traxere: reliquum tempus hiemat. Nec tamen sævitia tempestatum cludit mare. Piratæ primum coegere mortis periculo in mortem ruere, & hiberna experiri maria : nunc idem hoc avaritia cogit.

XLVIII. Ventorum frigidissimi sunt, quos a Septemtrione diximus spirare, & vicinus his Corus. Hi & reliquos compescunt, & nubes abigunt. Humidi, Africus, & præcipue Auster Italiæ. Narrant & in Ponto Cæcian in se trahere nubes. Sicci Corus, & Vulturnus, præterquam desinentes. Nivales, Aquilo & Septemtrio. Grandines Septemtrio importat, & Corus : æstuosus Auster : tepidi

Vulturnus, & Favonius. Iidem Subsolano sicciores, & in totum omnes a septemtrione & occidente sicciores, quam a meridie & oriente. Saluberrimus autem omnium Aquilo: noxius Auster, & magis siccus; fortassis quia humidus, frigidior est. Minus esurire eo spirante creduntur animantes. Etesiæ noctu desinunt fere, & a tertia diei hora oriuntur. In Hispania & Asia ab oriente flatus est eorum: in Ponto ab Aquilone, reliquis in partibus a meridie. Spirant autem & a bruma, cum vocantur Ornithiæ, sed leniores & paucis diebus. Permutant & duo naturam cum situ. Auster Africæ serenus, Aquilo nubilus. Omnes venti vicibus suis spirant majore ex parte, aut ut contrarius desinenti incipiat. Cum proximi cadentibus surgunt, a lævo latere in dextrum, ut Sol, ambiunt. De ratione eorum menstrua, quarta maxime Luna decernit. Iisdem autem ventis in contrarium navigatur prolatis pedibus, ut noctu plerumque adversa vela concurrant. Austro majores fluctus eduntur quam Aquilone: quoniam ille infernus ex imo maris spirat, hic summo. Ideoque post Austros noxii præcipue terræ motus. Noctu Auster, interdiu Aquilo vehementior. Et ab ortu flantes diuturniores sunt ab occasu flantibus. Septemtriones impari fere desinunt numero: quæ observatio & in aliis multis rerum naturæ partibus valet. Mares itaque existimantur

impari numero. Sol & auget, & comprimit flatus. Auget exoriens occidensque, comprimit meridianus æstivis temporibus. Itaque medio diei aut noctis plerumque sopiuntur: qui aut nimio frigore, aut æstu solvuntur. Et imbribus venti sopiuntur. Exspectantur autem maxime, unde nubes discussæ adaperuere cælum. Omnium quidem (si libeat observare minimos ambitus) redire easdem vices quadriennio exacto Eudoxus putat: non ventorum modo, verum & reliquarum tempestatum magna ex parte. Et est principium lustri ejus, semper intercalari anno, Caniculæ ortu. De generalibus ventis hæc.

XLIX. 48. Nunc de repentinis flatibus, qui exhalante terra (ut dictum est) coorti, rursusque dejecti, interim obducta nubium cute, multiformes exsistunt. Vagi quippe & ruentes torrentium modo (ut aliquibus placere ostendimus) tonitrua & fulgura edunt. Majore vero illati pondere incursuque, si late siccam rupere nubem, procellam gignunt, quæ vocatur a Græcis Ecnephias: sin vero depressu sinu arctius rotati effregerint, sine igne, hoc est, sine fulmine, verticem faciunt, qui Typhon vocatur, id est, vibratus Ecnephias. Defert hic secum aliquid abruptum e nube gelida, convolvens, versansque, & ruinam suam illo pondere aggravans, & locum ex loco mutans rapida vertigine: præcipua navigantium pestis, non antennas modo, verum

ipsa

ipsa navigia contorta frangens; tenui remedio aceti in advenientem effusi, cui frigidissima est natura. Idem illisu ipse repercussus, correpta secum in cælum refert, sorbetque in excelsum.

L. Quod si majore depressæ nubis eruperit specu, sed minus lato quam procella, nec sine fragore, Turbinem vocant, proxima quæque prosternentem. Idem ardentior, accensusque dum furit, Prester vocatur, amburens contacta pariter, & proterens.

49. Non fit autem aquilonius Typhon, nec nivalis aut nive jacente Ecnephias. Quod si simul rupit nubem, exarsitque, & ignem habuit, non postea concepit, fulmen est. Distat a Prestere, quo flamma ab igni. Hic late funditur flatu, illud conglobatur impetu. Vortex autem remeando distat a turbine, quomodo stridor a fragore. Procella latitudine ab utroque: disjecta nube verius, quam rupta. Fit & caligo belluæ similis, nube dira navigantibus. Vocatur & columna, cum spissatus humor rigensque ipse se sustinet. Ex eodem genere, & in longum veluti fistula nubes aquam trahit.

LI. 50. Hieme & æstate rara fulmina, contrariis de causis: quoniam hieme densatus aer nubium crassiore corio spissatur: omnisque terrarum exhalatio rigens, ac gelida, quidquid accipit ignei vaporis, exstinguit. Quæ ratio immunem Scythiam

& circa rigentia a fulminum casu præstat: & e diverso nimius ardor Ægyptum. Siquidem calidi siccique halitus terræ, raro admodum, tenuesque densantur in nubes. Vere autem & autumno crebriora fulmina, corruptis in utroque tempore æstatis hiemisque causis. Qua ratione crebra in Italia: quia mobilior aer mitiore hieme, & æstate nimbosa, semper quodammodo vernat, vel autumnat. Italiæ quoque partibus iis, quæ a septemtrione discedunt ad teporem, qualis est Urbis & Campaniæ tractus, juxta hieme & æstate fulgurat, quod non in alio situ.

LII. 51. Fulminum ipsorum plura genera traduntur. Quæ sicca veniunt, non adurunt, sed dissipant. Quæ humida, non urunt, sed infuscant. Tertium est, quod clarum vocant, mirificæ maxime naturæ, quo dolia exhauriuntur intactis operimentis, nulloque alio vestigio relicto. Aurum, & æs, & argentum liquatur intus, sacculis ipsis nullo modo ambustis, ac ne cônfuso quidem signo ceræ. Marcia princeps Romanarum icta gravida, partu exanimato, ipsa citra ullum aliud incommodum vixit. In Catilinanis prodigiis Pompejano ex municipio M. Herennius Decurio sereno die fulmine ictus est.

LIII. 52. Tuscorum literæ novem Deos emittere fulmina existimant, eaque esse undecim gene-

rum: Jovem enim trina jaculari. Romani duo tantum ex iis servavere: diurna adtribuentes Jovi, nocturna Summano: rariora sane eadem de causa frigidioris cæli. Etruria erumpere terra quoque arbitratur, quæ infera appellat, brumali tempore facta, sæva maxime & exsecrabilia: cum sint omnia, quæ terrena existimant, non illa generalia, nec a sideribus venientia, sed ex proxima atque turbidiore natura. Argumentum evidens, quod omnia a superiore cælo decidentia obliquos habent ictus: hæc autem quæ vocant terrena, rectos. Sed quia ex propiore materia cadunt, ideo creduntur e terra exire, quoniam ex repulsu nulla vestigia edunt, cum sit illa ratio non inferi ictus, sed adversi. A Saturni ea sidere proficisci subtilius ista consectati putant: sicut cremantia, a Martis. Qualiter, cum Volsinii oppidum Tuscorum opulentissimum totum concrematum est fulmine. Vocant & familiaria in totam vitam fatidica, quæ prima fiunt familiam suam cuique indepto. Ceterum existimant non ultra decem annos portendere privata, præterquam aut matrimonio primo facta, aut natali die: publica non ultra tricesimum annum, præterquam in deductione oppidorum.

LIV. 53. Exstat Annalium memoria, sacris quibusdam, & precationibus, vel cogi fulmina, vel impetrari. Vetus fama Etruriæ est, impetratum,

Volsinios urbem agris depopulatis subeunte monstro, quod vocavere Voltam. Evocatum & a Porsena suo rege. Et ante eum a Numa sæpius hoc factitatum, in primo Annalium suorum tradit L. Piso gravis auctor: quod imitatum parum rite Tullum Hostilium ictum fulmine. Lucosque & aras & sacra habemus: interque Statores, ac Tonantes, & Feretrios, Elicium quoque accepimus Jovem. Varia in hoc vitæ sententia, & pro cujusque animo. Imperari naturæ audacis est credere; nec minus hebetis, beneficiis abrogare vires: quando in fulgurum quoque interpretatione eo profecit scientia, ut ventura alia finito die præcinat: & an peremptura sint fatum, aut apertura potius alia fata quæ lateant, innumerabilibus in utroque publicis privatisque experimentis. Quamobrem sint ista, ut rerum naturæ libuit, aliis certa, aliis dubia, aliis probata, aliis damnanda: nos cetera, quæ sunt in his memorabilia, non omittemus.

LV. 54. Fulgetrum prius cerni, quam tonitrum audiri, cum simul fiant, certum est. Nec mirum: quoniam lux sonitu velocior. Ictum autem & sonitum congruere, ita modulante natura: sed sonitum profecti esse fulminis, non illati. Etiamnum spiritum ocyorem fulmine: ideo quati prius omne & afflari, quam percuti: nec quemquam tangi, qui prior viderit fulmen, aut tonitrum audierit. Læva

prospera existimantur: quoniam læva parte mundi ortus est. Nec tam adventus spectatur, quam reditus: sive ab ictu resilit ignis, sive opere confecto, aut igne consumpto spiritus remeat. In sedecim partes cælum in eo aspectu divisere Tusci. Prima est a septemtrionibus ad æquinoctialem exortum: secunda ad meridiem, tertia ad æquinoctialem occasum: quarta obtinet, quod reliquum est ab occasu ad septemtriones. Has iterum in quaternas divisere partes, ex quibus octo ab exortu sinistras, totidem e contrario appellavere dextras. Ex his maxime dira, quæ septemtrionem ab occasu attingunt. Itaque plurimum refert, unde venerint fulmina, & quo concesserint. Optimum est, in exortivas redire partes. Ideo cum a prima cæli parte venerint, & in eamdem concesserint, summa felicitas portenditur, quale Sullæ Dictatori ostentum datum accepimus. Cetera ipsius mundi portione minus prospera aut dira. Quædam fulgura enunciare non putant fas, nec audire, præterquam si hospiti indicentur, aut parenti. Magna hujus observationis vanitas, tacta Junonis æde, Romæ deprehensa est Scauro Consule, qui mox princeps fuit.

Noctu magis, quam interdiu, sine tonitribus fulgurat. Unum animal hominem non semper exstinguit, cetera illico: hunc videlicet natura tribuente

honorem, cum tot belluæ viribus præstent. Omnia contrarias incubant in partes: homo, nisi convertatur in percussas, non exspirat. Superne icti considunt. Vigilans ictus conniventibus oculis, dormiens patentibus reperitur. Hominem ita exanimatum cremari fas non est; condi terra religio tradidit. Nullum animal, nisi exanimatum, fulmine accenditur. Vulnera fulminatorum frigidiora sunt reliquo corpore.

LVI. 55. Ex iis, quæ terra gignuntur, lauri fruticem non icit: nec umquam quinque altius pedibus descendit in terram. Ideo pavidi altiores specus tutissimos putant: aut tabernacula e pellibus belluarum, quas vitulos appellant: quoniam hoc solum animal ex marinis non percutiat: sicut nec e volucribus aquilam, quæ ob hoc armigera hujus teli fingitur. In Italia inter Terracinam & ædem Feroniæ, turres bellicis temporibus desiere fieri, nulla non earum fulmine diruta.

LVII. 56. Præter hæc inferiore cælo relatum in monumenta est, lacte & sanguine pluisse, M. Acilio, C. Porcio Coss. & sæpe alias; sicut carne, P. Volumnio, Servio Sulpicio Coss. exque ea non putruisse, quod non diripuissent aves. Item ferro in Lucanis, anno antequam M. Crassus a Parthis interemptus est, omnesque cum eo Lucani milites, quorum magnus numerus in exercitu erat. Effigies,

quæ pluit, spongiarum fere similis fuit: aruspices præmonuerunt superna vulnera. L. autem Paulo, C. Marcello Coss. lana pluit circa castellum Carissanum, juxta quod post annum T. Annius Milo occisus est. Eodem causam dicente lateribus coctis pluisse, in ejus anni acta relatum est.

LVIII. 57. Armorum crepitus, & tubæ sonitus auditos e cælo Cimbricis bellis accepimus: crebroque & prius, & postea. Tertio vero consulatu Marii ab Amerinis & Tudertibus spectata arma cælestia, ab ortu occasuque inter se concurrentia, pulsis quæ ab occasu erant. Ipsum ardere cælum, minime mirum est, & sæpius visum, majore igne nubibus correptis.

LIX. 58. Celebrant Græci Anaxagoram Clazomenium, Olympiadis septuagesimæ octavæ secundo anno, pædixisse cælestium literarum scientia, quibus diebus saxum casurum esset e Sole. Idque factum interdiu in Thraciæ parte ad Ægos flumen. Qui lapis etiam nunc ostenditur, magnitudine vehis, colore adusto, comete quoque illis noctibus flagrante. Quod si quis prædictum credat, simul fateatur necesse est, majoris miraculi divinitatem Anaxagoræ fuisse; solvique rerum naturæ intellectum, & confundi omnia, si aut ipse Sol lapis esse, aut umquam lapidem in eo fuisse credatur: decidere tamen crebro, non erit dubium. In Aby-

di gymnasio ex ea causa colitur hodieque, modicus quidem, sed quem in medio terrarum casurum idem Anaxagoras prædixisse narratur. Colitur & Cassandriæ, quæ Potidæa vocitata est, ob id deducta. Ego ipse vidi in Vocontiorum agro paulo ante delatum.

LX. 59. Arcus vocamus, extra miraculum frequentes, & extra ostentum. Nam ne pluvios quidem, aut serenos dies, cum fide portendunt. Manifestum est, radium Solis immissum cavæ nubi, repulsa acie in Solem refringi, colorumque varietatem mixtura nubium, aeris, igniumque fieri. Certe nisi Sole adverso non fiunt: nec umquam, nisi dimidia circuli forma: nec noctu, quamvis Aristoteles prodat aliquando visum, quod tamen fatetur idem non nisi quartadecima[a] Luna posse. Fiunt autem hieme maxime ab æquinoctio autumnali die decrescente. Quo rursus crescente ab æquinoctio verno, non exsistunt: nec circa solstitium longissimis diebus: bruma vero, hoc est, brevissimis diebus, frequenter. Iidem sublimes humili Sole, humilesque sublimi, & minores oriente, aut occidente, sed in latitudinem diffusi: meridie exiles, verum ambitus majoris. Æstate vero per meridiem non cernuntur: post autumni æquinoctium quacumque hora: nec umquam plures simul quam duo.

a) *trigesima* V. not. ad h. l.

LXI. Cetera ejusdem naturæ non multis dubia esse video.

60. Grandinem conglaciato imbre gigni, & nivem eodem humore mollius coacto: pruinam autem ex rore gelido. Per hiemem nives cadere, non grandines: ipsasque grandines interdiu sæpius, quam noctu, & multo celerius resolvi, quam nives. Nebulas nec æstate, nec maximo frigore exsistere. Rores neque gelu, neque ardoribus, neque ventis, nec nisi serena nocte. Gelando liquorem minui, solutaque glacie non eumdem inveniri modum.

61. Varietates colorum figurarumque in nubibus cerni, prout admixtus ignis superet, aut vincatur.

LXII. 62. Præterea quasdam proprietates quibusdam locis esse. Roscidas æstate Africæ noctes. In Italia Locris, & in lacu Velino, nullo non die apparere arcus. Rhodi & Syracusis numquam tanta nubila obduci, ut non aliqua hora Sol cernatur: qualia aptius suis referentur locis. Hæc sint dicta de aere.

LXIII. 63. Sequitur terra, cui uni rerum naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus maternæ venerationis. Sic hominum illa, ut cælum Dei: quæ nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper: novissime complexa gremio jam a reliqua natura abdicatos, tum maxime ut mater, operiens: nullo magis sacra

merito, quam quo nos quoque sacros facit, etiam monumenta ac titulos gerens, nomenque prorogans nostrum, &[a] memoriam extendens contra brevitatem ævi. Cujus numen ultimum jam nullis precamur irati grave: tamquam nesciamus hanc esse solam, quæ numquam irascatur homini. Aquæ subeunt in imbres, rigescunt in grandines, tumescunt in fluctus, præcipitantur in torrentes: aer densatur nubibus, furit procellis. At hæc benigna, mitis, indulgens, ususque mortalium semper ancilla, quæ coacta generat! quæ sponte fundit! quos odores saporesque! quos succos! quos tactus! quos colores! quam bona fide creditum fenus reddit! quæ nostri causa alit! Pestifera enim animantia; vitali spiritu habente culpam, necesse est illi seminata excipere, & genita sustinere. Sed in malis generantium noxa est. Illa serpentem homine percusso non amplius recipit, pœnasque etiam inertium nomine exigit: illa medicas fundit herbas, & semper homini parturit. Quin & venena nostri misertam instituisse credi potest: ne in tædio vitæ fames, mors terræ meritis alienissima, lenta nos consumeret tabe: ne lacerum corpus abrupta dispergerent: ne laquei torqueret pœna præpostera, incluso spiritu, cui quæreretur exitus: ne in profundo quæsita morte, sepultura pa-

a) & abest.

bulo fieret: ne ferri cruciatus scinderet corpus. Ita est, miserta genuit id, cujus facillimo haustu, illibato corpore, & cum toto sanguine exstingueremur, nullo labore, sitientibus similes: qualiter defunctos, non volucris, non fera attingeret; terræque servaretur, qui sibi ipsi perisset. Verum fateamur, terra nobis malorum remedium genuit; nos illud vitæ fecimus venenum. Non enim & ferro, quo carere non possumus, simili modo utimur? Nec tamen quereremur merito, etiamsi maleficii causa tulisset: adversus unam quippe naturæ partem ingrati sumus. Quas non ad delicias, quasque non ad contumelias servit homini? In maria jacitur, aut, ut freta admittamus, eroditur àquis: ferro, ligno, igne, lapide, fruge, omnibus cruciatur horis, multoque plus, ut deliciis, quam ut alimentis famuletur nostris. Nisi tamen, quæ summa patiatur, atque extrema cute, tolerabilia videantur. Penetramus in viscera, auri argentique venas, & æris ac plumbi metalla fodientes: gemmas etiam & quosdam parvulos quærimus lapides, scrobibus in profundum actis. Viscera ejus extrahimus, ut digito gestetur gemma, quam petimus. QUOT MANUS ATTERUNTUR, UT UNUS NITEAT ARTICULUS! Si ulli essent inferi, jam profecto illos avaritiæ atque luxuriæ cuniculi refodissent. Et miramur, si eadem ad noxam genuit aliqua! Feræ enim, credo, custo-

diunt illam, arcentque sacrilegas manus. Non inter serpentes fodimus, & venas auri tractamus cum veneni radicibus? Placatiore tamen Dea ob hoc, quod omnes hi opulentiæ exitus ad scelera, cædesque, & bella tendunt: quamque sanguine nostro irrigamus, insepultis ossibus tegimus. Quibus tamen, velut exprobrato furore, tandem ipsa se obducit, & scelera quoque mortalium occultat. Inter crimina ingrati animi & hoc duxerim, quod naturam ejus ignoramus.

LXIV. 64. Est autem figura prima, de qua consensus judicat. Orbem certe diximus terræ, globumque verticibus includi fatemur. Neque enim absoluti orbis est forma in tanta montium excelsitate, tanta camporum planitie: sed cujus amplexus, si capita linearum comprehendantur ambitu, figuram absoluti orbis efficiat: id quod ipsa rerum naturæ cogit ratio, non eisdem causis, quas attulimus in cælo. Namque in illo cava in se convexitas vergit, & cardini suo, hoc est, terræ, undique incumbit. Hæc, ut solida atque conferta adsurgit, intumescenti similis, extraque protenditur. Mundus in centrum vergit: at terra exit a centro, immensum ejus globum in formam orbis assidua circa eam mundi volubilitate cogente.

LXV. 65. Ingens hic pugna literarum, contraque vulgi: circumfundi terræ undique homines,

conversisque inter se pedibus stare, & cunctis similem esse cæli verticem, ac simili modo ex quacumque parte mediam calcari: illo quærente, cur non decidant contra siti: tamquam non ratio præsto sit, ut nos non decidere mirentur illi. Intervenit sententia, quamvis indocili probabilis turbæ, inæquali globo, ut si sit figura pineæ nucis, nihilominus terram undique incoli. Sed quid hoc refert alio miraculo exoriente? pendere ipsam, ac non cadere nobiscum, ceu spiritus vis mundo præsertim inclusi, dubia sit: aut possit cadere, natura repugnante, & quo cadat, negante. Nam sicut ignium sedes non est nisi in ignibus, aquarum nisi in aquis, spiritus nisi in spiritu: ita terræ, arcentibus cunctis, nisi in se, locus non est. Globum tamen effici mirum est, in tanta planitie maris, camporumque. Cui sententiæ adest Dicæarchus, vir in primis eruditus, regum cura permensus montes, ex quibus altissimum prodidit Pelion, MCCL passuum, ratione perpendiculi, nullam esse eam portionem universæ rotunditatis colligens. Mihi incerta hæc videtur conjectatio, haud ignaro quosdam Alpium vertices, longo tractu, nec breviore quinquaginta millibus passuum adsurgere. Sed vulgo maxima hæc pugna est, si coactam in verticem aquarum quoque figuram credere cogatur. Atqui non aliud in rerum natura aspectu manifestius. Namque & dependentes

ubique guttæ parvis globantur orbibus: & pulveri illatæ, frondiumque lanugini impositæ, absoluta rotunditate cernuntur: & in poculis repletis media maxime tument: quæ propter subtilitatem humoris, mollitiamque in se residentem, ratione facilius, quam visu, deprehenduntur. Idque etiam magis mirum, in poculis repletis, addito humore minimo circumfluere quod supersit: contra evenire ponderibus additis ad vicenos sæpe denarios: scilicet quia intus recepta liquorem in verticem attollant, ac[a] cumulo eminente infusa dilabantur. Eadem est causa, propter quam e navibus terra non cernatur, e navium malis conspicua: ac procul recedente navigio, si quid, quod fulgeat, religetur in mali cacumine, paulatim descendere videatur, & postremo occultetur. Denique Oceanus, quem fatemur ultimum, quanam alia figura cohæreret, atque non decideret, nullo ultra margine includente? Ipsum id ad miraculum redit, quonam modo, etiamsi globetur, extremum non decidat mare. Contra quod ut sint plana maria, & qua videntur figura, non posse id accidere, magno suo gaudio, magnaque gloria inventores Græci subtilitate geometrica docent. Namque cum e sublimi in inferiora aquæ ferantur, & sit hæc natura earum confessa; nec quisquam du-

a) *at*.

bitet in litore ullo accessisse eas, quo longissime devexitas passa sit: procul dubio apparere, quo quid humilius sit, propius centro esse terræ; omnesque lineas, quæ emittuntur ex eo ad proximas aquas, breviores fieri, quam quæ ad extremum mare a primis aquis. Ergo totas omnique ex parte aquas vergere in centrum; ideoque non decidere, quoniam in interiora nitantur.

LXVI. Quod ita formasse artifex natura credi debet, ut cum terra arida & sicca constare per se ac sine humore non posset, nec rursus stare aqua, nisi sustinente terra, mutuo implexu jungerentur: hac[a] sinus pandente: illa vero permeante totam, intra, extra, supra, venis, ut vinculis, discurrentibus, atque etiam in summis jugis erumpente: quo spiritu acta & terræ pondere expressa, siphonum modo emicat: tantumque a periculo decidendi abest, ut in summa quæque & altissima exsiliat. Qua ratione manifestum est, quare tot fluminum quotidiano accessu maria non crescant.

66. Est igitur in toto suo globo tellus medio ambitu præcincta circumfluo mari. Nec argumentis hoc investigandum, sed jam experimentis cognitum.

LXVII. 67. A Gadibus, columnisque Herculis, Hispaniæ & Galliarum circuitu, totus hodie navi-

a) *has*, mendose.

gatur occidens. Septemtrionalis vero Oceanus, majore ex parte navigatus est, auspiciis Divi Augusti, Germaniam classe circumvecta ad Cimbrorum promontorium: & inde immenso mari prospecto, aut fama cognito, ad Scythicam plagam, & humore nimio rigentia. Propter quod minime verisimile est illic maria deficere, ubi humoris vis superet. Juxta vero ab ortu ex Indico mari, sub eodem sidere pars tota vergens in Caspium mare, pernavigata est Macedonum armis, Seleuco atque Antiocho regnantibus, qui & Seleucida atque Antiochida ab ipsis appellari voluere. Circa Caspium quoque multa Oceani litora explorata, parvoque brevius, quam totus, hinc aut illinc septemtrio eremigatus. Ut tamen conjecturæ locum sic quoque non relinquat, ingens argumentum paludis Mæoticæ, sive ea illius Oceani sinus est, ut multos adverto credidisse, sive angusto discreti situ restagnatio. Alio latere Gadium, ab eodem occidente, magna pars meridiani sinus ambitu Mauritaniæ navigatur hodie. Majorem quidem ejus partem, & orientis, victoriæ Magni Alexandri lustravere, usque in Arabicum sinum. In quo res gerente C. Cæsare Augusti filio, signa navium ex Hispaniensibus naufragiis feruntur agnita. Et Hanno, Carthaginis potentia florente, circumvectus a Gadibus ad finem Arabiæ, navigationem eam prodidit scripto: sicut ad extera Eu-

ropæ noscenda missus eodem tempore Himilco. Præterea Nepos Cornelius auctor est, Eudoxum quemdam sua ætate, cum Lathurum regem fugeret, Arabico sinu egressum, Gades usque pervectum: multoque ante eum Cælius Antipater, vidisse se, qui navigasset ex Hispania in Æthiopiam commercii gratia. Idem Nepos de septemtrionali circuitu tradit, Quinto Metello Celeri, L. Afranii in consulatu collegæ, sed tum Galliæ Proconsuli, Indos a rege Suevorum dono datos, qui ex India commercii causa navigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti. Sic maria circumfusa undique dividuo globo partem orbis auferunt nobis: nec inde huc, nec hinc illo pervio tractu. Quæ contemplatio apta detegendæ mortalium vanitati, poscere videtur, ut totum hoc, quidquid est, in quo singulis nihil satis est, ceu subjectum oculis, quantum sit ostendam.

LXVIII. 68. Jam primum in dimidio computari videtur, tamquam nulla portio ipsi decidatur Oceano: qui toto circumdatus medio, & omnes ceteras fundens recipiensque aquas, & quidquid exit in nubes, ac sidera ipsa tot & tantæ magnitudinis pascens, quo tandem amplitudinis spatio credetur habitare? Improba & infinita debet esse tam vastæ molis possessio. Adde quod ex relicto plus abstulit cælum. Nam cum sint ejus quinque partes, quas vo-

cant Zonas, infesto rigore & æterno gelu premitur omne, quidquid est subjectum duabus extremis, utrimque circa vertices: hunc qui septemtrio vocatur, eumque qui adversus illi, austrinus appellatur. Perpetua caligo utrobique, & alieno molliorum siderum aspectu, maligna, ac pruina tantum albicans lux. Media vero terrarum, qua Solis orbita est, exusta flammis & cremata, cominus vapore torretur. Circa duæ tantum, inter exustam & rigentes, temperantur: eæque ipsæ inter se non perviæ, propter incendium siderum. Ita terræ tres partes abstulit cælum: Oceani rapina in incerto est.

Sed & relicta nobis una portio, haud scio an etiam in majore damno sit. Idem siquidem Oceanus infusus in multos (ut dicemus) sinus, adeo vicino accessu interna maria adlatrat, ut centum quindecim millibus passuum Arabicus sinus distet ab Ægyptio mari: Caspius vero CCCLXXV millibus a Pontico. Idem interfusus intrat per tot maria, quibus Africam, Europam, Asiamque dispescit, quantum terrarum occupat? Computetur etiam nunc mensura tot fluminum, tantarum paludum: addantur & lacus, & stagna. Jam elata in cælum, & ardua aspectu quoque juga: jam silvæ, vallesque præruptæ, & solitudines, & mille causis deserta detrahantur. Hæ tot portiones terræ, immo vero, ut plures tradidere, mundi punctus, (neque enim est aliud ter-

ra in universo:) HÆC EST MATERIA GLORIÆ NOSTRÆ, HÆC SEDES: hic honores gerimus, hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuamur humanum genus, hic instauramus bella etiam civilia, mutuisque cædibus laxiorem facimus terram. Et ut publicos gentium furores transeam, hæc, in qua conterminos pellimus, furtoque vicini cespitem nostro solo adfodimus; ut qui latissime rura metatus fuerit, ultraque fines exegerit accolas, quota terrarum parte gaudeat? vel cum ad mensuram avaritiæ suæ propagaverit, QUAM TANDEM PORTIONEM EJUS DEFUNCTUS OBTINEAT!

LXIX. 69. Mediam esse mundi totius haud dubiis constat argumentis: sed clarissime æquinoctii paribus horis. Nam nisi in medio esset, æquales dies noctesque haberi non posse deprehendunt * & dioptræ, quæ vel maxime id confirmant: cum æquinoctiali tempore ex eadem linea ortus occasusque cernatur, &[a] solstitialis exortus per suam lineam, brumalisque occasus. Quæ accidere nullo modo possent, nisi in centro sita esset.

LXX. 70. Tres autem circuli supra dictis zonis implexi, inæqualitates temporum distinguunt: solstitialis a parte Signiferi excelsissima nobis, ad septemtrionalem plagam versus: contraque ad alium

*) *deprehenderunt*, sphalma, ut videtur, Ed. Brot.
a) & abest.

Polum brumalis: item medio ambitu Signiferi orbis incedens æquinoctialis.

LXXI. Reliquorum, quæ miramur, causa in ipsius terræ figura est, quam globo similem, & cum ea aquas, iisdem intelligitur argumentis. Sic enim fit haud dubie, ut nobis septemtrionalis plagæ sidera numquam occidant: contra meridianæ numquam oriantur: rursusque hæc illis non cernantur, attollente se contra medios visus terrarum globo. Septemtriones non cernit Troglodytice, & confinis Ægyptus: nec Canopum Italia, & quem vocant Berenices crinem: item quem sub Divo Augusto cognominavere Cæsaris thronon, insignes ibi stellas. Adeoque manifesto adsurgens fastigium curvatur, ut Canopus quartam fere partem signi unius supra terram eminere Alexandriæ intuentibus videatur: eadem a Rhodo terram quodammodo ipsam stringere: in Ponto omnino non cernatur, ubi maxime sublimis septemtrio. Idem a Rhodo absconditur, magisque Alexandriæ. In Arabia Novembri mense prima vigilia occultus, secunda se ostendit: in Meroe solstitio vesperi paulisper apparet, paucisque ante exortum Arcturi diebus pariter cum die cernitur. Navigantium hæc maxime cursus deprehendunt, in alia adverso, in alia prono mari, subitoque conspicuis, atque ut e freto emergentibus, quæ in anfractu pilæ latuere, sideribus. Neque enim

(ut dixere aliqui) mundus hoc polo excelsiore se attollit; aut undique cernerentur hæc sidera: verum hæc eadem quibusque proximis sublimiora creduntur, eademque demersa longinquis; utque nunc sublimis in dejectu positis videtur hic vertex, sic illam terræ devexitatem transgressis, illa se attollunt, residentibus quæ hic excelsa fuerant: quod, nisi in figura pilæ, accidere non posset.

LXXII. Ideoque defectus Solis ac Lunæ vespertinos orientis incolæ non sentiunt: nec matutinos ad occasum habitantes: meridianos vero sæpius. Nobili apud Arabiam magni Alexandri victoria, Luna defecisse noctis secunda hora prodita est: eademque in Sicilia exoriens. Solis defectum, Vipstano[a] & Fontejo Coss. qui fuere ante paucos annos, factum pridie Kalendas Majas, Campania hora diei inter septimam & octavam sensit: Corbulo dux in Armenia inter horam diei decimam & undecimam prodidit visum, circuitu globi alia & aliis detegente & occultante. Quod si plana esset terra, simul omnia apparerent cunctis, noctesque non fierent inæquales: nam æque aliis, quam in medio sitis, paria duodecim horarum intervalla cernerentur, quæ nunc non in omni parte simili modo congruunt.

LXXIII. 71. Ideo nec nox diesque quævis eadem toto orbe simul est, oppositu globi noctem,

a) *Vipsanio.*

aut ambitu diem afferente. Multis hoc cognitum experimentis. In Africa Hispaniaque, turrium Annibalis[a]: in Asia vero propter piraticos terrores, simili specularum præsidio excitato: in queis prænuntiativos ignes sexta hora diei accensos, sæpe compertum est, tertia noctis a tergo ultimis visos. Ejusdem Alexandri cursor Philonides, ex Sicyone Elin mille & ducenta stadia novem diei confecit horis: indeque, quamvis declivi itinere, tertia noctis hora remensus est sæpius. Causa, quod eunti cum Sole iter erat: eundem remeans obvium contrario prætervertebat occursu. Qua de causa ad occasum navigantes, quamvis brevissimo die, vincunt spatia nocturnæ navigationis, ut Solem ipsum comitantes.

LXXIV. 72. Vasaque horospica[b] non ubique eadem sunt usui, in trecentis stadiis, aut, ut longissime, in quingentis, mutantibus semet umbris Solis. Itaque umbilici (quem gnomonem appellant) umbra, in Ægypto meridiano tempore, æquinoctii die, paulo plus quam dimidiam gnomonis mensuram efficit. In urbe Roma nona pars gnomonis deest umbræ. In oppido Ancona[c] superest quinta tricesima[d]. In parte Italiæ, quæ Venetia appellatur, eisdem horis umbra gnomoni par fit.

a) *Hannibalis*. b) *horoscopa*. Vid. not. ad h. l.
c) *Anconæ*. d) *tricesima* abest. Vid. not. ad h. l. Mox legitur: *Decima in p. I.*

LXXV. 73. Simili modo tradunt in Syene oppido, quod est supra Alexandriam quinque millibus stadiorum, solstitii die medio nullam umbram jaci: puteumque ejus experimenti gratia factum, totum illuminari. Ex quo apparere, tum Solem illi loco supra verticem esse: quod & in India supra flumen Hypasin fieri tempore eodem Onesicritus scripsit. Constatque in Berenice, urbe Troglodytarum, & inde stadiis quatuor *millibus* DCCCXX in eadem gente, Ptolemaide oppido, quod in margine Rubri maris ad primos elephantorum venatus conditum est, hoc idem ante solstitium quadragenis quinis diebus, totidemque postea fieri, & per eos XC dies in meridiem umbras jaci. Rursus in Meroe, (Insula hæc caputque gentis Æthiopum, quinque millibus stadiorum a Syene in amne Nilo habitatur:) bis anno absumi umbras, Sole duodevicesimam Tauri partem, & quartamdecimam Leonis obtinente. In Indiæ gente Oretum, mons est Maleus nomine, juxta quem umbræ æstate in austrum, hieme in septemtrionem jaciuntur. Quindecim tantum noctibus ibi apparet Septemtrio. In eadem India Patalis celeberrimo portu, Sol dexter oritur, umbræ in meridiem cadunt. Septemtrionem, ibi Alexandro morante, adnotatum prima tantum noctis parte aspici. Onesicritus dux ejus scripsit, quibus in locis Indiæ umbræ non sint, septemtrionem non conspici, &

ea loca appellari ascia; nec horas dinumerari ibi.

LXXVI. 74. At in tota Troglodytice, umbras bis quadraginta quinque diebus in anno Eratosthenes in contrarium cadere prodidit.

LXXVII. 75. Sic fit, ut vario lucis incremento, in Meroe longissimus dies XII horas æquinoctiales, & octo partes unius horæ colligat: Alexandriæ vero XIV horas: in Italia quindecim: in Britannia XVII, ubi æstate lucidæ noctes, haud dubie repromittunt id, quod cogit ratio credi, solstitii diebus accedente Sole propius verticem mundi, angusto lucis ambitu subjecta terræ continuos dies habere senis mensibus, noctesque e diverso ad brumam remoto. Quod fieri in insula Thule, Pytheas Massiliensis scripsit, sex dierum navigatione in Septemtrionem a Britannia distante: quidam vero & in Mona, quæ distat a Camaloduno[a] Britanniæ oppido circiter ducentis millibus adfirmant.

LXXVIII. 76. Umbrarum hanc rationem, & quam vocant gnomonicen, invenit Anaximenes Milesius, Anaximandri (de quo diximus) & Thaletis[b] discipulus: primusque horologium, quod appellant sciothericon, Lacedæmone ostendit.

LXXIX. 77. Ipsum diem alii aliter observavere. Babylonii inter duos Solis exortus: Athenienses

a) *Camalduno*. b) *& T.* desunt.

inter duos occasus: Umbri a meridie in meridiem: vulgus omne a luce ad tenebras: sacerdotes Romani, & qui diem diffiniere civilem, item Ægyptii, & Hipparchus, a media nocte in mediam. Minora autem intervalla esse lucis inter ortus Solis juxta solstitia, quam æquinoctia, apparet: quia positio Signiferi circa media sui obliquior est: juxta solstitium vero rectior.

LXXX. 78. Contexenda sunt his cælestibus nexa causis. Namque Æthiopas vicini sideris vapore torreri, adustisque similes gigni, barba & capillo vibrato, non est dubium. Et adversa plaga mundi, atque glaciali, candida cute esse gentes, flavis promissas crinibus: truces vero ex cæli rigore has, illas mobilitate hebetes: ipsoque crurum argumento, illis in supera succum revocari, natura vaporis: his in inferas partes depelli, humore deciduo. Hic graves feras, illic varias effigies animalium provenire, & maxime alitum, & in multas figuras gigni volucres. Corporum autem proceritate utrobique, illic ignium nisu, hic humoris alimento. Medio vero terræ salubris utrimque mixtura, fertilis ad omnia tractus, modicus corporum habitus[a], magna & in colore temperies, ritus molles, sensus liquidus, ingenia fecunda, totiusque naturæ capacia.

a) *m. c. h.* desunt. Nolim ex ingenio hæc esse Cl. Broterii.

Iisdem imperia, quæ numquam extimis gentibus fuerint: sicut ne illæ quidem his paruerint, avulsæ, ac pro immanitate naturæ urgentis illas, solitariæ.

LXXXI. 79. Babyloniorum placita, motus terræ, hiatusque, & cetera omnia, vi siderum existimant fieri; sed illorum trium, quibus fulmina adsignant: fieri autem, meantium cum Sole, aut congruentium, & maxime circa quadrata mundi. Præclara quædam esse & immortalis in eo, si credimus, divinitas perhibetur Anaximandro Milesio Physico, quem ferunt Lacedæmoniis prædixisse, ut urbem ac tecta custodirent: instare enim motum terræ, cum & urbs tota eorum corruit; & Taygeti montis magna pars ad formam puppis eminens abrupta, cladem insuper eam ruina pressit. Perhibetur & Pherecydi Pythagoræ doctori alia conjectatio, sed & illa divina: haustu aquæ e puteo præsensisse, ac prædixisse ibi terræ motum. Quæ si vera sunt, quantum a Deo tandem videri possunt tales distare, dum vivant? Et hæc quidem arbitrio cujusque existimanda relinquantur: ventos in causa esse non dubium reor. Neque enim umquam intremiscunt terræ, nisi sopito mari, cæloque adeo tranquillo, ut volatus avium non pendeant, subtracto omni spiritu qui vehit: nec umquam, nisi post ventos, condito scilicet in venas & cava ejus occulta flatu. Neque aliud est in terra tremor, quam in

nube tonitruum: nec hiatus aliud, quam cum fulmen erumpit: incluso spiritu luctante, & ad libertatem exire nitente.

LXXXII. 80. Varie itaque quatitur, & mira eduntur opera; alibi prostratis mœnibus, alibi jactu profundo haustis, alibi egestis molibus, alibi emissis amnibus: nonnumquam etiam ignibus, calidisve fontibus, alibi averso fluminum cursu. Præcedit vero comitaturque terribilis sonus, alias murmur similius mugitibus, aut clamori humano, armorumve pulsantium fragori: pro qualitate materiæ excipientis, formaque vel cavernarum, vel cuniculi, per quem meat, exilius grassante in angusto, eodem rauco in recurvis, resultante in duris, fervente in humidis, fluctuante in stagnantibus: item fremente contra solida. Itaque & sine motu sæpe editur sonus. Nec simplici modo quatitur, sed tremit vibratque. Hiatus vero alias remanet, ostendens quæ sorbuit, alias occultat ore compresso, rursusque ita inducto solo, ut nulla vestigia exstent, urbibus plerumque devoratis, agrorumque tractu hausto. Maritima autem maxime quatiuntur. Nec montuosa tali malo carent. Exploratum est mihi, Alpes, Apenninumque sæpius tremuisse. Et autumno ac vere terræ crebrius moventur, sicut fiunt fulmina. Ideo Galliæ & Ægyptus minime quatiuntur: quoniam hic æstatis causa obstat, illic hiemis. Item noctu sæ-

pius, quam interdiu. Maximi autem motus exsistunt matutini, vespertinique: sed propinqua luce crebri: interdiu autem circa meridiem. Fiunt & Solis Lunæque defectu, quoniam tempestates tunc sopiuntur. Præcipue vero, cum sequitur imbrem æstus, imbresve æstum.

LXXXIII. 81. Navigantes quoque sentiunt non dubia conjectura, sine flatu intumescente fluctu subito aut quatiente icti. Intremunt vero & in navibus posita, æque quam in ædificiis, crepituque prænuntiant: quin & volucres non impavidæ sedentes. Est & in cælo signum, præceditque motu futuro, aut interdiu, aut paulo post occasum sereno, ceu tenuis linea nubis in longum porrectæ spatium. Est & in puteis turbidior aqua, nec sine odoris tædio.

LXXXIV. 82. Sicut in iisdem est remedium, quale & crebri specus præbent: conceptum enim spiritum exhalant, quod in certis notatur oppidis, quæ minus quatiuntur, crebris ad eluviem cuniculis cavata. Multoque sunt tutiora in iisdem illis, quæ pendent: sicut Neapoli in Italia intelligitur; parte ejus, quæ solida est, ad tales casus obnoxia. Tutissimi sunt ædificiorum fornices, anguli quoque parietum, postesque[a] alterno pulsu renitente. Et la-

a) *postesque* abest.

tere terreno facti parietes minore noxa quatiuntur. Magna differentia est & in ipso genere motus: pluribus siquidem modis quatitur. Tutissimum est, cum vibrat crispante ædificiorum crepitu: & cum intumescit adsurgens, alternoque motu residet: innoxium & cum concurrentia tecta contrario ictu arietant: quoniam alter motus alteri renititur. Undantis inclinatio, & fluctus more quædam volutatio infesta est: aut cum in unam partem totus se motus impellit. Desinunt autem tremores, cum ventus emersit: sin vero duravere, non ante quadraginta dies sistuntur: plerumque & tardius, utpote cum quidam annuo & biennii spatio duraverint.

LXXXV. 83. Factum est & hoc[a] semel, quod equidem in Etruscæ disciplinæ voluminibus inveni, ingens terrarum portentum, L. Marcio, Sex. Julio Coss. in agro Mutinensi. Namque montes duo inter se concurrerunt, crepitu maximo adsultantes, recedentesque, inter eos flamma fumoque, in cælum exeunte interdiu, spectante e via Æmilia magna equitum Romanorum, familiarumque & viatorum multitudine. Eo concursu villæ omnes elisæ: animalia permulta, quæ intra fuerant, exanimata sunt, anno ante sociale bellum, quod haud scio an funestius terræ ipsi Italiæ fuerit, quam civilia.

a) *& hoc* desunt.

Non minus mirum ostentum & nostra cognovit ætas, anno Neronis principis supremo, sicut in rebus ejus exposuimus, pratis oleisque, intercedente via publica, in contrarias sedes transgressis, in agro Marrucino, prædiis Vectii Marcelli equitis Romani, res Neronis procurantis.

LXXXVI. 84. Fiunt simul cum terræ motu & inundationes maris, eodem videlicet spiritu infusi, ac terræ residentis sinu recepti. Maximus terræ memoria mortalium exstitit motus, Tiberii Cæsaris principatu, XII urbibus Asiæ una nocte prostratis. Creberrimus Punico bello, intra eumdem annum septies atque quinquagies nuntiatus Romam. Quo quidem anno ad Trasymenum lacum dimicantes, maximum motum neque Pœni sensere, nec Romani. Nec vero simplex malum, aut in ipso tantum motu periculum est: sed par aut majus ostento. Numquam urbs Roma tremuit, ut non futuri eventus alicujus id prænuntium esset.

LXXXVII. 85. Eadem nascentium causa terrarum est, cum idem ille spiritus attollendo potens solo, non valuit erumpere. Nascuntur enim nec fluminum tantum invectu, sicut Echinades insulæ ab Acheloo amne congestæ, majorque pars Ægypti a Nilo; in quam a Pharo insula noctis & diei cursum fuisse Homero credimus: sed & recessu maris, sicut eidem de Circeiis. Quod accidisse & in Am-

braciæ portum decem millium passuum intervallo: & Atheniensium quinque millium ad Piræeum memoratur: & Ephesi, ubi quondam ædem Dianæ adluebat. Herodoto quidem si credimus, mare fuit supra Memphim usque ad Æthiopum montes: itemque a planis Arabiæ. Mare & circa Ilium, & tota Teuthrania, quaque campos intulerit Mæander.

LXXXVIII. 86. Nascuntur & alio modo terræ, ac repente in aliquo mari emergunt, velut paria secum faciente natura: quæque hauserit hiatus, alio loco reddente.

LXXXIX. 87. Claræ jam pridem insulæ, Delos & Rhodos, memoriæ produntur enatæ. Postea minores, ultra Melon, Anaphe: inter Lemnum & Hellespontum, Nea: inter Lebedum & Teon, Halone: inter Cycladas, Olympiadis cxxxv anno quarto, Thera & Therasia. Inter easdem post annos cxxx Hiera, eademque Automate. Et ab ea[a] duobus stadiis post annos cx in nostro ævo, M. Junio Silano, L. Balbo Coss. a. d. viii Idus Julias, Thia.

88. Ante nos & juxta Italiam inter Æolias insulas, item juxta Cretam emersit e mari MMD passuum una cum calidis fontibus: altera Olympia-

a) *ea* abest.

dis CLXIII anno tertio in Tusco sinu, flagrans hæc violento cum flatu. Proditurque memoriæ magna circa illam multitudine piscium fluitante, confestim exspirasse, quibus ex his cibus fuisset. Sic & Pithecusas in Campano sinu ferunt ortas. Mox in his montem Epopon, cum repente flamma ex eo emicuisset, campestri æquatum planitie. In eadem & oppidum haustum profundo: alioque motu terræ stagnum emersisse: & alio, provolutis montibus insulam exstitisse Prochytam.

XC. Namque & hoc modo insulas rerum natura fecit. Avellit Siciliam Italiæ, Cyprum Syriæ, Eubœam Bæotiæ, Eubœæ Atalantem & Macrin, Besbicum Bithyniæ, Leucosiam Sirenum promontorio.

XCI. 89. Rursus abstulit insulas mari, junxitque terris: Antissam Lesbo, Zephyrium Halicarnasso, Æthusam Myndo, Dromiscon & Pernen Mileto, Narthecusam Parthenio promontorio. Hybanda quondam insula Ioniæ, CC nunc a mari abest stadiis. Syrien Ephesus in mediterranea habet: Derasidas & Sophoniam vicina ei Magnesia. Epidaurus & Oricum insulæ esse desierunt.

XCII. 90. In totum abstulit terras, primum omnium ubi Atlanticum mare est, si Platoni credimus, immenso spatio. Mox interno, quæ videmus hodie, mersam Acarnaniam Ambracio sinu,

Achajam Corinthio, Europam Asiamque Propontide & Ponto. Ad hoc perrupit mare Leucada, Antirrhium, Hellespontum, Bosporos[a] duos.

XCIII. 91. Atque ut sinus & stagna præteream, ipsa se comest terra: devoravit Cybotum altissimum montem, cum oppido Curite: Sipylum in Magnesia: & prius in eodem loco clarissimam urbem, quæ Tantalis vocabatur. Galenes[b] & Gamales urbium in Phœnice agros cum ipsis: Phegium Æthiopiæ jugum excelsissimum: tamquam non infida grassarentur & litora.

XCIV. 92. Pyrrham & Antissam circa Mæotim Pontus abstulit: Elicem & Buram in sinu Corinthio, quarum in alto vestigia adparent. Ex insula Cea amplius triginta millia passuum abrupta subito cum plurimis mortalibus[c] rapuit. Et in Sicilia dimidiam Tyndarida urbem, ac quidquid ab Italia deest. Similiter in Bœotia[d] Eleusina.

XCV. 93. Motus enim terræ sileantur, & quidquid est, ubi saltem busta urbium extant: simul ut terræ miracula potius dicamus, quam scelera naturæ. Et hercule non cælestia enarratu difficiliora fuerint. Metallorum opulentia tam varia, tam dives, tam fecunda, tot sæculis suboriens, cum tantum quotidie orbe toto populentur ignes, ruinæ,

a) *Bosphoros*. b) *Galanis*. c) *mortalium*. d) *B. & E.*

naufragia, bella, fraudes: tantum vero luxuria, & tot mortales conterant: gemmarum pictura tam multiplex, lapidum tam discolores maculæ, interque eos, candor alicujus, præter lucem omnia excludens: medicatorum fontium vis: ignium tot locis emicantium perpetua tot sæculis incendia: spiritus letales alibi, aut scrobibus emissi, aut ipso loci situ mortiferi, alibi volucribus tantum, ut Soracte vicino Urbi tractu: alibi præter hominem, ceteris animantibus: nonnumquam & homini, ut in Sinuessano agro, & Puteolano: spiracula vocant, alii Charoneas scrobes, mortiferum spiritum exhalantes. Item in Hirpinis Amsancti, ad Mephitis ædem; locum, quem qui intravere, moriuntur. Simili modo Hierapoli in Asia, Matris tantum Magnæ sacerdoti innoxium. Alibi fatidici specus, quorum exhalatione temulenti futura præcinunt, ut Delphis, nobilissimo oraculo. Quibus in rebus quid possit aliud causæ afferre mortalium quispiam, quam diffusæ per omne naturæ subinde aliter atque aliter numen erumpens?

XCVI. 94. Quædam vero terræ ad ingressus tremunt, sicut in Gabiensi agro, non procul urbe Roma, jugera ferme ducenta, equitantium cursu: similiter in Reatino.

95. Quædam insulæ semper fluctuant, sicut in agro Cæcubo, & eodem Reatino, Mutinensi, Sta-

toniensi. In Vadimonis lacu, & ad Cutilias aquas opaca silva, quæ numquam die ac nocte eodem loco visitur. In Lydia quæ vocantur Calaminæ, non ventis solum, sed etiam contis quo libeat impulsæ, multorum civium Mithridatico bello salus. Sunt & in Nympheo parvæ, Saltares[a] dictæ: quoniam in symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum moventur. In Tarquiniensi lacu magno Italiæ, duæ nemora circumferunt, nunc triquetràm figuram edentes, nunc rotundam complexu, ventis impellentibus: quadratam numquam.

XCVII. 96. Celebre fanum habet Veneris Paphos, in cujus quamdam aream[b] non impluit. Item in Nea, oppido Troadis, circa simulacrum Minervæ. In eodem & relicta sacrificia non putrescunt.

XCVIII. Juxta Harpasa oppidum Asiæ cautes stat horrenda, uno digito mobilis: eadem si toto corpore impellatur, resistens. In Taurorum peninsula in civitate Parasino terra est, qua sanantur omnia vulnera. At circa Asson Troadis lapis nascitur, quo consumuntur omnia corpora: Sarcophagus vocatur. Duo sunt montes juxta flumen Indum: alteri natura est, ut ferrum omne teneat, alteri ut respuat. Itaque si sint clavi in calciamento, vestigia avelli in altero non posse, in altero sisti.

a) *Sultuares*. b) *aram*.

Locris & Crotone pestilentiam numquam fuisse, nec ullo terræ motu laboratum, adnotatum est. In Lycia vero semper a terræ motu XL dies serenos esse. In agro Arpano frumentum satum non nascitur. Ad aras Mucias in Vejente, & apud Tusculanum, & in silva Ciminia loca sunt, in quibus in terram depacta non extrahuntur[a]. In Crustumino natum fenum ibi noxium: extra, salubre est.

XCIX. 97. Et de aquarum natura complura dicta sunt: sed æstus maris accedere, & reciprocare, maxime mirum; pluribus quidem modis; verum causa in Sole, Lunaque. Bis inter duos exortus Lunæ adfluunt, bisque remeant, vicenis quaternisque semper horis. Et primum attollente se cum ea mundo intumescentes, mox a meridiano cæli fastigio vergente, in occasum residentes: rursusque ab occasu subter cæli ima, & meridiano contraria accedente, inundantes: hinc, donec iterum exoriatur, se resorbentes. Nec umquam eodem tempore, quo pridie, reflui, ut ancillante sidere, trahenteque secum avido haustu maria, & assidue aliunde, quam pridie exoriente: paribus tamen intervallis reciproci, senisque semper horis, non cujusque diei aut noctis, aut loci, sed æquinoctialibus: ideoque inæquales vulgarium horarum spatio, utcumque plu-

a) *detrahuntur*.

res in eas aut diei aut noctis illarum mensuræ cadunt, & æquinoctio tantum pares ubique. Ingens argumentum, plenumque lucis ac vocis etiam diurnæ, hebetes esse, qui negent subtermeare sidera, ac rursus eadem resurgere: similemque terris, immo vero universæ naturæ exinde faciem, in iisdem ortus occasusque operibus: non aliter sub terra manifesto sideris cursu, aliove effectu, quam cum præter oculos nostros feratur.

Multiplex etiamnum lunaris differentia primumque septenis diebus. Quippe modici a nova ad dividuam æstus, pleniores ab ea exundant, plenaque maxime fervent. Inde mitescunt. Pares ad septimam primis: iterumque alio latere dividua augentur. In coitu Solis pares plenæ. Eadem Aquilonia, & a terris longius recedente mitiores, quam cum in austros digressa, propiore nisu vim suam exercet. Per octonos quoque annos ad principia motus & paria incrementa centesimo Lunæ revocantur ambitu, augente ea cuncta: Solis annuis causis, duobus æquinoctiis maxime tumentes, & autumnali amplius, quam verno: inanes vero bruma, & magis solstitio. Nec tamen in ipsis, quos dixi, temporum articulis, sed paucis post diebus: sicuti neque in plena aut novissima, sed postea: nec statim ut Lunam mundus ostendat occultetve, aut media plaga declinet, verum duabus fere horis æquinoctialibus

serius: tardiore semper ad terras omnium, quæ geruntur in cælo, effectu cadente, quam visu, sicuti fulguris, & tonitrus, & fulminum.

Omnes autem æstus in Oceano majora integunt spatia, inundantque, quam in reliquo mari: sive quia totum in universitate animosius est quam in parte; sive quia magnitudo aperta sideris vim laxe grassantis efficacius sentit, eamdem angustiis arcentibus. Qua de causa nec lacus, nec amnes similiter moventur. Octogenis cubitis supra Britanniam intumescere æstus Pytheas Massiliensis auctor est. Interiora autem maria terris clauduntur, ut portu. Quibusdam tamen in locis spatiosior laxitas ditioni paret, utpote cum plura exempla sint, in tranquillo mari: nulloque velorum impulsu, tertio die ex Italia provectorum Uticam, æstu fervente. Circa litora autem magis quam in alto deprehenduntur hi motus: quoniam & in corpore extrema pulsum venarum, id est, spiritus magis sentiunt. In plerisque tamen æstuariis propter dispares siderum in quoque tractu exortus, diversi exsistunt æstus, tempore, non ratione, discordes, sicut in Syrtibus.

C. Et quorumdam tamen privata natura est, velut Tauromenitani euripi sæpius, & in Eubœa septies die ac nocte reciprocantis. Æstus idem triduo in mense consistit, septima, octava, nonaque Luna. Gadibus, qui est delubro Herculis proxi-

mus, fons inclusus ad putei modum, alias simul cum Oceano augetur, minuiturque, alias vero utrumque contrariis temporibus. Eodem in loco alter, Oceani motibus consentit. In ripa Bætis oppidum est, cujus putei crescente æstu minuuntur, augescunt decedente, mediis temporum immobiles. Eadem natura in Hispali oppido uni puteo, ceteris vulgaris. Et Pontus semper extra meat in Propontidem, introrsus in Pontum numquam refluo mari.

CI. 98. Omnia plenilunio maria purgantur: quædam & stato tempore. Circa Messanam & Mylas fimo similia exspuuntur in litus purgamenta: unde fabula, Solis boves ibi stabulari. His addit (ut nihil, quod equidem noverim, prætereain) Aristoteles, nullum animal nisi æstu recedente exspirare. Observatum id multum in Gallico Oceano, & dumtaxat in homine compertum[a].

CII. 99. Quo vera conjectatio exsistit, haud frustra spiritus sidus Lunam existimari. Hoc esse quod terras saturet, accedensque corpora impleat, abscedens inaniat. Ideo cum incremento ejus augeri conchylia, & maxime spiritum sentire, quibus sanguis non sit. Sed & sanguinem hominum etiam cum lumine ejus augeri ac minui: frondes quoque ac

a) *repertum*.

pabula (ut suo loco dicetur) sentire, in omnia eadem penetrante vi.

CIII. 100. Itaque Solis ardore siccatur liquor: & hoc esse masculum sidus accepimus, torrens cuncta sorbensque.

CIV. Sic mari late patenti saporem incoqui salis, aut quia exhausto inde dulci tenuique, quod facillime trahat vis ignea, omne asperius crassiusque linquatur: ideo summa æquorum aqua dulciorem profundam: hanc esse veriorem causam asperi saporis, quam quod mare terræ sudor sit æternus: aut quia plurimum ex arido misceatur illi vapore: aut quia terræ natura sicut medicatas aquas inficiat[a]. Est in exemplis, Dionysio Siciliæ tyranno, cum pulsus est ea potentia, accidisse prodigium, ut uno die in portu dulcesceret mare.

101. E contrario ferunt Lunæ femineum ac molle sidus, atque nocturnum, solvere humorem, & trahere, non auferre. Id manifestum esse, quod ferarum occisa corpora in tabem visu suo resolvat; somnoque sopitis torporem contractum in caput revocet, glaciem refundat, cunctaque humifico spiritu laxet. Ita pensari naturæ vices, semperque sufficere, aliis siderum elementa cogentibus, aliis vero fundentibus. Sed in dulcibus aquis Lunæ alimentum esse, sicut in marinis Solis.

a) *interficiat*.

CV. 102. Altissimum mare xv stadiorum Fabianus tradit. Alii in Ponto ex adverso Coraxorum gentis (vocant Βαθέα Ponti) trecentis fere a continenti stadiis immensam altitudinem maris tradunt, vadis numquam repertis.

CVI. 103. Mirabilius id faciunt aquæ dulces, juxta mare ut fistulis emicantes. Nam nec aquarum natura a miraculis cessat. Dulces mari invehuntur, leviores haud dubie. Ideo & marinæ, quarum natura gravior, magis invecta sustinent. Quædam vero & dulces inter se supermeant alias. Ut in Fucino lacu invectus amnis, in Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Sevino Ollius, in Lemanno Rhodanus; hic trans Alpes, superiores in Italia, multorum millium transitu hospitales suas tantum, nec largiores, quam intulere, aquas evehentes. Proditum hoc & in Oronte amne Syriæ, multisque aliis.

Quidam vero odio maris subeunt vada, sicut Arethusa fons Syracusanus, in quo redduntur jacta in Alpheum, qui per Olympiam fluens, Peloponnesiaco litori infunditur. Subeunt terras, rursusque redduntur, Lycus in Asia, Erasinus in Argolica, Tigris in Mesopotamia. Et quæ in Æsculapii fonte Athenis immersa sunt, in Phalerico redduntur. Et in Atinate campo fluvius mersus, post xx m. pass. exit, & in Aquilejensi Timavus.

Nihil in Asphaltite Judææ lacu, qui bitumen gignit, mergi potest; nec in Armeniæ majoris Arethusa: is quidem nitrosus pisces alit. In Salentino juxta oppidum Manduriam lacus ad margines plenus, neque exhaustis aquis minuitur, neque infusis augetur. In Ciconum flumine, & in Piceno lacu Velino lignum dejectum, lapideo cortice obducitur; & in Surio Colchidis flumine, adeo ut lapidem plerumque durans adhuc integat cortex. Similiter in Silaro, ultra Surrentum, non virgulta modo immersa, verum & folia lapidescunt, alias salubri potu ejus aquæ. In exitu paludis Reatinæ saxum crescit. Et in Rubro mari oleæ, virentesque frutices enascuntur.

Sed & fontium plurimorum natura mira est fervore. Idque etiam in jugis Alpium, ipsoque in mari inter Italiam & Ænariam, ut in Bajano sinu, & in Liri fluvio, multisque aliis. Nam dulcis haustus in mari plurimis locis, ut ad Chelidonias insulas, & Aradum, & in Gaditano Oceano. Patavinorum aquis calidis herbæ virentes innascuntur: Pisanorum, ranæ: ad Vetulonios in Etruria non procul a mari pisces. In Casinate fluvius appellatur Scatebra, frigidus, abundantior æstate. In eo, ut in Arcadiæ Stymphali, enascuntur aquatiles musculi. In Dodone Jovis fons cum sit gelidus, & immersas faces exstinguat, si extinctæ admoveantur, accendit. Idem

meridie semper deficit: qua de causa A'ναπαυόμενον vocant. Mox increscens ad medium noctis exuberat: ab eo rursus sensim deficit. In Illyriis supra fontem frigidum expansæ vestes accenduntur. Jovis Hammonis stagnum interdiu frigidum, noctibus fervet. In Troglodytis fons Solis appellatur dulcis, circa meridiem[a] maxime frigidus: mox paulatim tepescens, ad noctis media fervore & amaritudine infestatur.

Padi fons mediis diebus æstivis velut interquiescens semper aret. In Tenedo insula fons, semper a[b] tertia noctis hora in sextam ab æstivo solstitio exundat. Et in Delo insula Inopus fons eodem, quo Nilus, modo, ac pariter cum eo decrescit augeturque. Contra Timavum amnem insula parva in mari est cum fontibus calidis, qui pariter cum æstu maris crescunt, minuuntur que. In agro Pitinate trans Apenninum fluvius Novanus omnibus solstitiis torrens, bruma siccatur.

In Falisco omnis aqua pota candidos boves facit: in Bœotia amnis Melas oves nigras: Cephissus ex eodem lacu profluens, albas: rursus nigras Peneus[c], rufasque juxta Ilium Xanthus, unde & nomen amni. In Ponto fluvius Astaces rigat campos, in quibus pastæ nigro lacte equæ gentem alunt. In Reatino fons Neminie appellatus, alio atque alio loco exo-

a) *c. diem.* b) *a* deest. c) *Penius.*

ritur, annonæ mutationem significans. Brundisii in portu fons incorruptas præstat aquas navigantibus. Lyncestis aqua, quæ vocatur acidula, vini modo temulentos facit. Item in Paphlagonia, & in agro Caleno. In Andro insula templo Liberi patris fontem Nonis Januariis semper vini sapore fluere Mucianus ter Cos. credit: Διὸς Θεοδοσία vocatur. Juxta Nonacrin in Arcadia Styx, nec odore differens, nec colore, epota illico necat. Item in Libroso Taurorum colle tres fontes, sine remedio, sine dolore mortiferi. In Carrinensi Hispaniæ agro duo fontes juxta fluunt, alter omnia respuens, alter absorbens. In eadem gente alius, aurei coloris omnes ostendit pisces, nihil extra illam aquam ceteris differentes. In Comensi juxta Larium lacum, fons largus, horis singulis semper intumescit ac residet. In Cydonea insula ante Lesbon fons calidus, vere tantum fluit. Lacus Sinnaus in Asia circumnascente absinthio inficitur. Colophone in Apollinis Clarii specu lacuna est, cujus potu mira redduntur oracula, bibentium breviore vita. Amnes retro fluere & nostra vidit ætas, Neronis principis annis supremis, sicut in rebus ejus retulimus.

Jam omnes fontes æstate quam hieme gelidiores esse, quem fallit? Sicut illa permira naturæ opera, æs & plumbum in massa mergi, dilatata fluitare: ejusdemque ponderis alia sidere, alia invehi. Onera

in aqua facilius moveri. Scyrium lapidem, quamvis grandem innatare, eumdemque comminutum mergi. Recentia cadavera ad vadum labi, intumescentia attolli. Inania vasa haud facilius, quam plena, extrahi. Pluvias salinis aquas utiliores esse, quam reliquas: nec fieri salem, nisi admixtis dulcibus. Marinas tardius gelare, celerius accendi. Hieme mare calidius esse, autumno salsius. Omne oleo tranquillari. Et ob id urinantes ore spargere: quoniam mitiget naturam asperam, lucemque deportet. Nives in alto mari non cadere. Cum omnis aqua deorsum feratur, exsilire fontes: atque etiam in Ætnæ radicibus flagrantis in tantum, ut quinquagena & centena millia passuum arenas flammarum globo[a] eructet:

CVII. Jamque & ignium, quod est naturæ quartum elementum, reddamus aliqua miracula. Sed primum ex aquis.

CVIII. 104. In Commagenes urbe Samosatis stagnum est, emittens limum (maltham vocant) flagrantem. Cum quid attigit solidi, adhæret: præterea tactu sequitur fugientes. Sic defendere muros oppugnante Lucullo: flagrabatque miles armis suis. Aquis etiam accenditur. Terra tantum restingui docuere experimenta.

CIX. 105. Similis est natura naphthæ: ita ap-

a) *globus*.

pellatur circa Babylonem, & in Astacenis Parthiæ, profluens, bituminis liquidi modo. Huic magna cognatio ignium, transiliuntque protinus in eam undecumque visam. Ita ferunt a Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat, corona igne rapta.

CX. 106. Verum in montium miraculis, ardet Ætna noctibus semper, tantoque ævo ignium materia sufficit, nivalis hibernis temporibus, egestumque cinerem pruinis operiens. Nec in illo tantum natura sævit, exustionem terris denuntians. Flagrat in Phaselide mons Chimæra, & quidem immortali diebus ac noctibus flamma. Ignem ejus accendi aqua, exstingui vero terra, aut feno, Cnidius[a] Ctesias tradit. Eadem in Lycia Hephæstii montes, teda flammante tacti, flagrant adeo, ut lapides quoque rivorum, & arenæ in ipsis aquis ardeant: aliturque ignis ille pluviis. Baculo si quis ex iis accenso traxerit sulcos, rivos ignium sequi narrant. Flagrat in Bactris Cophanti noctibus vertex. Flagrat in Medis, & Sittacene, confinio Persidis: Susis quidem ad Turrim albam, e xv caminis, maximo eorum & interdiu. Campus Babyloniæ flagrat, quadam veluti piscina jugeri magnitudine. Item Æthiopum juxta Hesperium montem, stellarum modo campi no-

a) *Gnidius*.

ctu nitent. Similiter in Megalopolitanorum agro: tametsi internus sit ille, jucundus, frondemque densi supra se nemoris non adurens. Et juxta gelidum fontem semper ardens Nymphei crater dira Apolloniatis suis portendit, ut Theopompus tradidit. Augetur imbribus, egeritque bitumen, temperandum fonte illo ingustabili: alias omni bitumine dilutius. Sed quis hæc miretur? in medio mari Hiera insula Æolia juxta Italiam cum ipso mari arsit per aliquot dies sociali bello, donec legatio Senatus piavit. Maximo tamen ardet incendio Theon ochema dictum, Æthiopum jugum, torrentesque Solis ardoribus flammas egerit. Tot locis, tot incendiis rerum natura terras cremat.

CXI. 107. Præterea cum sit hujus unius elementi ratio fecunda, seque ipsa pariat, & minimis crescat scintillis, quid fore putandum est in tot rogis terræ? Quæ est illa natura, quæ voracitatem in toto mundo avidissimam sine damno sui pascit? Addantur iis sidera innumera, ingensque Sol. Addantur humani ignes, & lapidum quoque insiti naturæ, attrita inter se ligna, jam nubium & origines fulminum. Excedit profecto omnia miracula ullum diem fuisse, quo non cuncta conflagrarent*: cum specula quoque concava adversa Solis radiis facilius etiam

*) *conflagarent* sphalma Ed. Brot.

accendant, quam ullus alius ignis. Quid quod innumerabiles parvi, sed naturales scatent? In Nympheo exit e petra flamma, quæ pluviis accenditur. Exit & ad aquas Scantias. Hæc quidem invalida, cum transit, nec longe in alia materia durans. Viret æterno hunc fontem igneum contegens fraxinus. Exit in Mutinensi agro statis Vulcano diebus. Reperitur apud auctores, subjectis Ariciæ arvis, si carbo deciderit, ardere terram. In agro Sabino & Sidicino unctum flagrare lapidem. In Salentino oppido Egnatia, imposito ligno in saxum quoddam ibi sacrum, protinus flammam exsistere. In Laciniæ Junonis ara sub dio sita, cinerem immobilem esse, perflantibus undique procellis.

Quin & repentinos exsistere ignes, & in aquis[a], & in corporibus etiam humanis. Trasymenum lacum arsisse totum: Servio Tullio dormienti in pueritia, ex capite flammam emicuisse: L. Marcio in Hispania interemptis Scipionibus concionanti, & milites ad ultionem exhortanti, arsisse simili modo, Valerius Antias narrat. Plura mox & distinctius: nunc enim quadam mixtura rerum omnium exhibentur miracula. Verum egressa mens interpretationem naturæ, festinat legentium animos per totum orbem velut manu ducere.

CXII.

a) *& in aquis* desunt; nec unde sint monet Cl. Brot.

CXII. 108. Pars nostra terrarum, de qua memoro, ambienti (ut dictum est) Oceano velut innatans, longissime ab ortu ad occasum patet, hoc est, ab India ad Herculis columnas Gadibus sacratas, octogies[a] quinquies centena, sexaginta octo mill. pass. ut Artemidoro auctori placet. Ut vero Isidoro, nonagies octies centena, & XVIII mill. Artemidorus adjicit amplius, a Gadibus circuitu sacri promontorii ad promontorium Artabrum, quo longissime frons procurrit Hispaniæ, CCCCXCI. Id mensuræ duplici currit via. A Gange amne ostioque ejus, quo se in Eoum Oceanum effundit, per Indiam Parthienenque ad Myriandrum urbem Syriæ in Issico sinu positam, quinquagies bis centena, XV mill. pass. Inde proxima navigatione Cyprum Insulam, Patara Lyciæ, Rhodum, Astypalæam in Carpathio mari insulas, Laconicæ Tænarum, Lilybæum Siciliæ, Calarim Sardiniæ, vicies & semel centena, tria mill. pass. Deinde Gades duodecies centena, & quinquaginta mill. pass. Quæ mensura universa ab eo mari efficit octogies quinquies centena, LXVIII mill. pass.

Alia via, quæ certior, itinere terreno maxime patet, a Gange ad Euphratem amnem quinquagies & semel centena mill. pass. & LXIX. Inde Cappa-

a) *octuagies.*

dociæ Mazaca, CCCXIX mill. Inde per Phrygiam, Cariam, Ephesum, CCCCXV mill. ab Epheso per Ægæum pelagus Delum, CC. Isthmum, CCXII quingenti. Inde terra, & Lechaico mari, & Corinthiaco sinu Patras Peloponnesi, XC. mill. Leucadem LXXXVII millia quingenti: Corcyram totidem: Acroceraunia CXXXII millia quingenti: Brundisium LXXXVII millia quingenti: Romam CCCLX millia. Alpes usque ad Scingomagum vicum DXIX Per Galliam ad Pyrenæos montes Illiberim DCCCCXXVII. Ad Oceanum & Hispaniæ oram CCCXXXI. Trajectu Gadis VII millia quingenti. Quæ mensura Artemidori ratione efficit octogies[a] novies centena, XLV.

Latitudo autem terræ a meridiano situ ad septemtrionem, dimidio fere minor colligitur, quadragies quater centena LXXXX millia. Quo palam fit, quantum & hinc vapor abstulerit, & illinc rigor. Neque enim deesse arbitror terris, aut non esse globi formam: sed inhabitabilia utrimque incomperta esse. Hæc mensura currit a litore Æthiopici Oceani, qua modo habitatur, ad Meroen decies centena millia. Inde Alexandriam, duodecies centena millia quinquaginta. Rhodum, DLXIII. Gnidum, LXXXVII millia quingenti. Con, XXV millia. Samum, C mill. Chium, LXXXXIV millia. Mitylenem, LXV

a) *octuagies*.

millia. Tenedon, XLIV[a] millia. Sigeum promontorium, XII millia quingenti. Os Ponti, CCCXII millia, quingenti. Carambin promontorium, CCCL. Os Mæotidis, CCCXII mill. quingenti. Ostium Tanais, CCLXXV mill. qui cursus compendiis maris brevior fieri potest, LXXXIX mill. Ab ostio Tanais nihil modicum diligentissimi auctores fecere: Artemidorus ulteriora incomperta existimavit, cum circa Tanaim Sarmatarum gentes degere fateretur ad septemtriones versas. Isidorus adjecit duodecies centena millia quinquaginta, usque ad Thulen, quæ conjectura divinationis est. Ego non minore, quam proxime dicto spatio Sarmatarum fines nosci intelligo. Et alioquin quantum esse debet, quod innumerabiles gentes subinde sedem mutantes capiat? Unde ulteriorem mensuram inhabitabilis plagæ, multo esse majorem arbitror. Nam & a Germania immensas insulas non pridem compertas, cognitum habeo.

De longitudine ac latitudine hæc sunt, quæ digna memoratu putem: Universum autem hunc circuitum Eratosthenes in omnium quidem literarum subtilitate, & in hac utique præter ceteros solers, quem cunctis probari video, ducentorum quinquaginta duorum millium stadiûm prodidit. Quæ mensura Romana computatione efficit trecenties quindecies

a) XCIV.

centena millia pass. Improbum ausum: verum ita subtili argumentatione comprehensum, ut pudeat non credere. Hipparchus & in coarguendo eo, & in reliqua omni diligentia mirus, adjicit stadiorum paulo minus XXV millia.

109. Alia Dionysodoro fides: neque enim subtraham exemplum vanitatis Græcæ maximum. Melius hic fuit, Geometrica scientia nobilis. Senecta diem obiit in patria. Funus duxere ei propinquæ, ad quas pertinebat hereditas. Eæ cum secutis diebus justa peragerent, invenisse dicuntur in sepulcro epistolam Dionysodori nomine ad superos scriptam: Pervenisse eum a sepulcro ad infimam terram, esseque eo stadiorum quadraginta duo millia. Nec defuere geometræ, qui interpretarentur significare epistolam a medio terrarum orbe missam, quo deorsum ab summo longissimum esset spatium, & idem pilæ medium. Ex quo consecuta computatio est, ut circuitu esse ducenta quinquaginta duo millia stadiorum pronuntiarent.

CXIII. Harmonica ratio, quæ cogit rerum naturam sibi ipsam congruere, addit huic mensuræ stadia XII millia: terramque nonagesimam sextam totius mundi partem facit.

# C. PLINII SECUNDI
# NATURALIS HISTORIÆ
## *LIBER III.*

### *Primus & secundus Europæ sinus.*

I. HACTENUS de situ, & miraculis terræ, aquarumque & siderum, ac ratione universitatis, atque mensura. Nunc de partibus: quamquam infinitum id quoque existimatur, nec temere sine aliqua reprehensione tractatum. Haud ullo in genere venia justiore, si modo minime mirum est, hominem genitum non omnia humana novisse. Quapropter auctorem neminem unum sequar: sed ut quemque verissimum in quaque parte arbitrabor. Quoniam commune ſerme omnibus fuit, ut eos quisque diligentissime situs diceret, in quibus ipse prodebat: ideo nec culpabo, aut coarguam quemquam. Loco-

rum nuda nomina, & quanta dabitur brevitate ponentur, claritate causisque dilatis in suas partes: nunc enim sermo de toto est. Quare sic accipi velim, ut si vidua fama sua nomina, qualia fuere primordio ante res ullas gestas, nuncupentur: & sit quædam in his nomenclatura quidem, sed mundi rerumque naturæ.

Terrarum orbis universus in tres dividitur partes, Europam, Asiam, Africam. Origo ab occasu Solis & Gaditano freto, qua irrumpens Oceanus Atlanticus in maria interiora diffunditur. Hinc intranti dextra Africa est, læva Europa: inter has Asia [a]. Termini, amnes Tanais, & Nilus. Quindecim M pass. in longitudinem, quas diximus, fauces Oceani patent, quinque M in latitudinem, a vico Mellaria Hispaniæ ad promontorium Africæ Album, auctore Turriano Gracili juxta genito. T. Livius, ac Nepos Cornelius latitudinis tradiderunt, ubi minus, VII M pass. ubi vero plurimum, X M. Tam modico ore tam immensa æquorum vastitas panditur. Nec profunda altitudo miraculum minuit. Frequentes quippe tæniæ candicantis vadi carinas territant. Qua de causa Limen interni maris multi eum locum appellavere. Proximis autem faucibus utrimque impositi montes coercent claustra. Abyla Africæ, Europæ Calpe, laborum Herculis

a) *A. est.*

metæ. Quam ob causam indigenæ columnas ejus Dei vocant, creduntque perfossas exclusa antea admisisse maria, & rerum naturæ mutasse faciem.

1. Primum ergo de Europa altrice victoris omnium gentium populi, longeque terrarum pulcherrima, quam plerique merito non tertiam portionem fecere, verum æquam; in duas partes, ab amne Tanai ad Gaditanum fretum, universo orbe diviso. Oceanus hoc quod dictum est spatio Atlanticum mare infundens, & avido meatu, terras, quæcumque venientem expavere, demergens: resistentes quoque flexuoso litorum anfractu lambit: Europam vel maxime recessibus crebris excavans: sed in quatuor præcipuos sinus. Quorum primus a Calpe Hispaniæ extimo (ut dictum est) monte, Locros & Brutium usque promontorium immenso ambitu flectitur.

II. In eo prima Hispania terrarum est, ulterior appellata, eadem Bætica. Mox a fine Urgitano citerior, eademque Tarraconensis ad Pyrenæa juga. Ulterior in duas, per longitudinem, provincias dividitur. Siquidem Bæticæ latere septemtrionali prætenditur Lusitania, amne Ana discreta. Ortus hic Laminitano agro citerioris Hispaniæ, & modo se in stagna fundens, modo in angustias resorbens, aut in totum cuniculis condens, & sæpius nasci gaudens, in Atlanticum Oceanum effunditur. Tarraconensis

autem[a] affixa Pyrenæo, totoque ejus latere decurrens, & simul ad Gallicum Oceanum Iberico a mari transversa se pandens, Solorio monte, & Oretanis jugis, Carpetanisque, & Asturum, a Bætica atque Lusitania distinguitur.

III. Bætica, a flumine eam mediam secante cognominata, cunctas provinciarum divite cultu, & quodam fertili ac peculiari nitore præcedit. Juridici conventus ei quatuor, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, Hispalensis. Oppida omnia numero CLXXV[b]. In iis coloniæ IX, municipia VIII.[c] Latio antiquitus donata XXIX; libertate VI; fœdere III; stipendiaria CXX. Ex his digna memoratu, aut Latiali sermone dictu facilia, a flumine Ana, litore Oceani, oppidum Onoba, Æstuaria[d] cognominatum: Interfluentes, Luxia, & Urium. Mariani[e] montes: Bætis fluvius: Litus Corense inflexo sinu; cujus ex adverso Gades, inter insulas dicendæ. Promontorium Junonis, Portus Bæsippo. Oppida: Belon, Mellaria: fretum ex Atlantico mari. Carteja, Tartessos a Græcis dicta. Mons Calpe. Dein litore interno oppidum Barbesula cum fluvio. Item Salduba: oppidum Suel: Malaca cum fluvio, fœderatorum. Dein Menoba cum fluvio. Sexifirmum[f] cognomine Julium, Selambina, Abdera. Murgis Bæticæ finis.

a) *a. hinc a.* b) CXXXV. c) XVIII. d) *Æsturia.* e) *Arenæ.* V. not. ad h. l. f) *Sexti Firmum.*

Oram eam universam originis Pœnorum existimavit M. Agrippa. Ab Ana autem Atlantico Oceano obversa Bastulorum Turdulorumque est. In universam Hispaniam M. Varro pervenisse Iberos, & Persas, & Phœnicas, Celtasque, & Pœnos tradit. Lusum enim Liberi patris, aut Lyssam[a] cum eo bacchantium nomen dedisse Lusitaniæ, & Pana præfectum ejus universæ. At quæ de Hercule ac Pyrene, vel Saturno traduntur, fabulosa in primis arbitror.

Bætis in Tarraconensis provinciæ, non ut aliqui dixere, Mentesa oppido, sed Tugiensi exoriens saltu, juxta quem Tader fluvius, qui Carthaginiensem agrum rigat, Ilorci refugit Scipionis rogum: versusque in occasum, Oceanum Atlanticum provinciam adoptans petit, modicus primo, sed multorum fluminum capax, quibus ipse famam aquasque aufert. Bæticæ primum ab Ossigitania infusus, amœno blandus alveo crebris dextra lævaque accolitur oppidis.

Celeberrima inter hunc & Oceani oram in mediterraneo Segeda, quæ Augurina cognominatur: Julia, quæ Fidentia: Urgao, quæ Alba: Ebura, quæ Cerealis: Iliberi, quod Liberini: Ilipula, quæ Laus: Artigi[b], quod Julienses: Vesci, quod Faventia: Singili, Attegua, Arialdunum, Agla minor, Bæbro, Castra vinaria, Episibrium, Hippo

a) *Lysam*. Mox: *bacchantem*. b) *Astigi*.

nova, Ilurco, Osca, Escua, Succubo, Nuditanum, Tuati vetus, omnia Bastetaniæ vergentis ad mare, conventus vero Cordubensis. Circa flumen ipsum, Ossigi, quod cognominatur Laconicum: Iliturgi, quod Forum Julium: Ipasturgi, quod Triumphale: Sitia: & XIV M passuum remotum in mediterraneo Obulco, quod Pontificense appellatur. Mox Ripa, epora[a] fœderatorum, Sacili, Martialium Onoba. Et dextra Corduba, colonia Patriciæ cognomine: inde primum navigabili Bæti. Oppida: Carbula, Decuma: fluvius Singulis, eodem Bætis latere incidens.

Oppida Hispalensis conventus: Celti, Arua, Canama, Evia, Ilipa cognomine Ilia: Italica. Et a læva, Hispalis colonia, cognomine Romulensis. Ex adverso oppidum Osset, quod cognominatur Julia Constantia: Vergentum, quod Julii Genius: Orippo, Caura, Siarum. Fluvius Menoba, Bæti[b] & ipse a dextro latere infusus. At inter æstuaria Bætis, oppidum Nebrissa, cognomine Veneria, & Colobona. Coloniæ: Asta, quæ regia dicitur: & in mediterraneo Asido, quæ Cæsariana.

Singulis fluvius in Bætin, quo dictum est ordine, irrumpens, Astigitanam coloniam adluit, cognomine Augustam Firmam, ab ea navigabilis. Hujus conventus sunt reliquæ coloniæ immunes: Tucci, quæ cognominatur Augusta Gemella: Ituc-

a) *Ripepora*. V. not. ad h. l. b) *B*. deest.

ci, quæ Virtus Julia: Attubi, quæ Claritas Julia: Urso, quæ Genua Urbanorum: inter quæ fuit Munda cum Pompeji filio capta. Oppida libera: Astigi vetus, Ostippo. Stipendiaria: Callet, Calucula, Castra Gemina, Ilipula minor, Merucra, Sacrana[a], Obulcula, Oningis. Ab ora venienti prope Menobam amnem & ipsum navigabilem, haud procul accolunt Alontigicelli, Alostigi.

Quæ autem regio a Bæti ad fluvium Anam tendit extra prædicta, Bæturia appellatur, in duas divisa partes, totidemque gentes: Celticos qui Lusitaniam attingunt, Hispalensis conventus: Turdulos, qui Lusitaniam & Tarraconensem accolunt, jura Cordubam petunt. Celticos a Celtiberis ex Lusitania advenisse manifestum est, sacris, lingua, oppidorum vocabulis, quæ cognominibus in Bætica distinguuntur: Seriæ adjicitur Fama Julia: Nertobrigæ, Concordia Julia: Segidæ, Restituta Julia: Contributæ, Julia: Ucultuniacum, quæ & Curiga[b] nunc est: Laconimurgi, Constantia Julia: Teresibus Fortunales, & Callensibus Emanici. Præter hæc in Celtica Acinipo, Arunda, Aruci[c], Turobriga[d], Lastigi, Alpesa, Sæpone, Serippo. Altera Bæturia, quam diximus Turdulorum, & conventus Cordubensis, habet oppida non ignobilia; Arsam;

a) *Sucrana*. b) *Turiga*. c) *Arunci*. d) *Turobrica*.

Mellariam, Mirobricam: regionis Osintiadis, Sisaponem.

Gaditani conventus: civium Romanorum, Regina: Latinorum, Regia Carissa, cognomine Aurelia: Urgia cognominata Castrum Julium: item Cæsaris Salutariensis. Stipendiaria: Besaro, Belippo, Barbesula, Lacippo, Bæsippo, Callet, Capagum, Oleastro, Itucci, Brana, Lacibi, Saguntia, Andorisæ.

Porro longitudinem universam ejus prodidit M. Agrippa CCCCLXXV[a] M passuum: latitudinem CCLVII M; sed cum termini Carthaginem usque procederent: quæ causa magnos errores computatione mensuræ sæpius parit, alibi mutato provinciarum modo, alibi itinerum auctis aut diminutis passibus. Incubuere maria tam longo ævo, alibi processere litora, torsere se fluminum aut correxere flexus. Præterea aliunde aliis exordium mensuræ est, & alia meatus: ita fit, ut nulli duo concinant.

2. Bæticæ longitudo nunc a Castulonis oppidi fine Gades, CCL M, & a Murgi maritima ora XXV M pass. amplior. Latitudo a Cartejana ora CCXXXVII[b] M pass. Agrippam quidem in tanta viri diligentia, præterque in hoc opere cura, orbem cum[c] terrarum orbi spectandum propositurus esset, errasse quis

a) CCCCLXV. b) CCXXXVI. c) *cum orbem*.

credat, & cum eo divum Augustum? Is namque complexam eum porticum ex destinatione & commentariis M. Agrippæ a sorore sua[a] inchoatam peregit.

IV. 3. Citerioris Hispaniæ, sicut complurium provinciarum, aliquantum vetus forma mutata est: utpote cum Pompejus Magnus tropæis[b] suis, quæ statuebat in Pirenæo, DCCCLXXVI oppida ab Alpibus ad fines Hispaniæ ulterioris in ditionem a se redacta testatus sit. Nunc universa provincia dividitur in conventus septem: Carthaginiensem, Tarraconensem, Cæsaraugustanum, Cluniensem, Asturum, Lucensem, Bracarum. Accedunt insulæ, quarum mentione seposita, præter civitates contributas aliis CCXCIV: provincia ipsa continet oppida CLXXIX. In iis colonias XII, oppida civium Romanorum XIII, Latinorum veterum XVII, fœderatorum unum, stipendiaria CXXXV.

Primi in ora Bastuli: post eos, quo dicetur ordine, intus recedentes Mentesani, Oretani, & ad Tagum Carpetani: juxta eos Vaccæi, Vectones, & Celtiberi Arevaci. Oppida oræ proxima: Urci, adscriptumque Bæticæ Barea: regio Mavitania, mox Deitania, dein Contestania: Carthago nova, colonia: cujus a promontorio quod Saturni vocatur, Cæsaream Mauritaniæ urbem CLXXXVII M pass. tra-

a) *ejus*. V. not. ad h. l. b) *trophæis*.

jectus. Reliqua in ora: flumen Tader: colonia immunis Ilici, unde Ilicitanus sinus. In eam contribuuntur Icositani. Mox Latinorum Lucentum, Dianium stipendiarium: Sucro fluvius, & quondam oppidum, Contestaniæ finis. Regio Edetania amœno prætendente se stagno, ad Celtiberos recedens. Valentia colonia III M pass. a mari remota: flumen Turium, & tantumdem a mari Saguntum, civium Romanorum oppidum, fide nobile: flumen Uduba: regio Ilergaonum. Iberus amnis navigabili commercio dives, ortus in Cantabris, haud procul oppido Juliobriga[a], per CCCCL M pass. fluens: navium per CCLX M a Varia oppido capax, quem propter universam Hispaniam Græci appellavere Iberiam. Regio Cossetania, flumen Subi: colonia Tarraco Scipionum opus, sicut Carthago Pœnorum. Regio Ilergetum, oppidum Subur: flumen Rubricatum, a quo Laletani & Indigetes. Post eos, quo dicetur ordine, intus recedentes radice Pirenæi, Ausetani, Lacetani: perque Pyrenæum Cerretani, dein Vascones. In ora autem colonia Barcino, cognomine Faventia. Oppida civium Romanorum: Bætulo, Iluro: flumen Larnum: Blandæ: flumen Alba: Emporiæ: geminum hoc, veterum incolarum, & Græcorum, qui Phocæensium fuere soboles. Flumen Tichis. Ab eo Pyrenæa Venus in latere promontorii altero, XL M.

a) *Juliobrica*.

Nunc per singulos conventus reddentur insignia præter supradicta. Tarracone disceptant populi XLIII, quorum celeberrimi, civium Romanorum Dertusani, Bisgargitani: Latinorum, Ausetani, Cerretani, qui Juliani cognominantur, & qui Augustani: Edetani, Gerundenses, Gessorienses: Teari, qui Julienses. Stipendiariorum: Aquicaldenses, Onenses, Bæculonenses.

Cæsaraugusta colonia immunis, amne Ibero adfusa, ubi oppidum antea vocabatur Salduba, regionis Edetaniæ, recipit populos CLII. Ex his civium Romanorum Belitanos, Celsenses, ex colonia: Calagurritanos, qui Nassici cognominantur: Ilerdenses, Surdaonum gentis, juxta quos Sicoris fluvius: Oscenses, regionis Vescitaniæ: Turiasonenses. Latinorum veterum: Cascantenses, Ergavicenses: Graccuritanos, Leonicenses, Osicerdenses. Fœderatos, Tarragenses. Stipendiarios: Arcobricenses, Andologenses, Arocelitanos, Bursaonenses, Calagurritanos qui Fibularenses cognominantur, Complutenses, Carenses, Cincenses, Cortonenses, Damanitanos, Larnenses, Lursenses, Lumberitanos, Lacetanos, Lubienses, Pompelonenses, Segienses.

Carthaginem conveniunt populi LXV, exceptis insularum incolis. Ex colonia Accitana Gemellenses, & Libisosona cognomine Foroaugustana, quibus dua-

bus jus Italiæ datum: ex colonia Salariense oppidani Latii veteris Castulonenses, qui Cæsari Venales appellantur: Sætabitani, qui Augustani: Valerienses. Stipendiariorum autem celeberrimi: Alabanenses, Bastitani, Consaburenses, Dianenses, Egelestani, Ilorcitani, Laminitani, Mentesani qui & Oritani, Mentesani qui & Bastuli, Oretani qui & Germani cognominantur: caputque Celtiberiæ Segobrigenses: Carpetaniæ, Toletani Tago flumini impositi: dein Viatienses, & Virgilienses.

In Cluniensem conventum[a] Varduli ducunt populos XIV, ex quibus Albanenses tantum nominare libeat: Turmogidi quatuor, in quibus Segisamonenses, & Segisamajulienses[b]. In eumdem conventum Carietes & Vennenses quinque civitatibus vadunt, quarum sunt Velienses. Eodem Pelendones Celtiberorum, quatuor populis: quorum Numantini fuere clari: sicut in Vaccæorum XVIII civitatibus, Intercatienses, Pallantini, Lacobrigenses, Caucenses. Nam in Cantabricis VII populis, Juliobriga[c] sola memoratur. In Autrigonum decem civitatibus, Tritium, & Virovesca. Arevacis nomen dedit fluvius Areva. Horum sex oppida: Saguntia, & Uxama, quæ nomina crebro aliis in locis usurpantur: præ-

a) *In conv. Clun.* b) *Segisamejulienses.* c) *Juliobrica.*

præterea Segovia, & nova Augusta; Termes, ipsaque Clunia Celtiberiæ finis. Ad Oceanum reliqua vergunt, Vardulique ex prædictis, & Cantabri.

Junguntur his Asturum XXII populi, divisi in Augustanos, & Transmontanos, Asturica urbe magnifica. In his sunt Cigurri, Pæsici, Lancienses, Zoelæ. Numerus omnis multitudinis ad CCXL M liberorum capitum.

Lucensis conventus populorum est XVI, præter Celticos, & Lebunos, ignobilium, ac barbaræ appellationis: sed liberorum capitum ferme CLXVI M.

Simili modo Bracarum XXIV civitates CLXXV M capitum, ex quibus præter ipsos Bracaros, Bibali, Cœlerini, Gallæci, Hequæsi, Limici, Querquerni, citra fastidium nominentur.

Longitudo citerioris Hispaniæ est, ad finem Castulonis a Pyrenæo, sexcenta septem mill. pass. & ora paulo amplius. Latitudo a Tarracone ad litus Olarsonis, CCCVII. E radicibus Pyrenæi, ubi cuneatur angustiis inter duo maria, paulatim deinde se pandens, qua contingit ulteriorem Hispaniam, tantumdem & amplius latitudini adjicit. Metallis plumbi, ferri, æris, argenti, auri tota ferme Hispania scatet: Citerior & specularibus lapidibus: Bætica & minio. Sunt & marmorum lapicidinæ. Universæ Hispaniæ Vespasianus imperator Augu-

stus jactatus procellis reipublicæ Latii jus tribuit. Pyrenæi montes Hispanias Galliasque disterminant, promontoriis in duo diversa maria projectis.

V. 4. Narbonensis provincia appellatur pars Galliarum, quæ interno mari adluitur, Braccata ante dicta, amne Varo ab Italia discreta, Alpiumque vel saluberrimis Romano imperio jugis. A reliqua vero Gallia latere septemtrionali, montibus Gebenna & Jura: agrorum cultu, virorum, morumque dignatione, amplitudine opum, nulli provinciarum postferenda, breviterque Italia verius quam provincia. In ora regio Sardonum, intusque Consuaranorum. Flumina: Tecum, Vernodubrum. Oppida: Illiberis, magnæ quondam urbis tenue vestigium: Ruscino, Latinorum. Flumen Atax e Pyrenæo Rubrensem permeans lacum: Narbo Martius, Decumanorum colonia, XII M pass. a mari distans. Flumina: Arauris, Liria. Oppida de cetero rara, præjacentibus stagnis: Agatha quondam Massiliensium, & regio Volcarum Tectosagum: atque ubi Rhoda Rhodiorum fuit, unde dictus multo Galliarum fertilissimus Rhodanus amnis, ex Alpibus se rapiens per Lemannum lacum, segnemque deferens Ararim, nec minus seipso torrentes Isaram, & Druentiam. Libica appellantur duo ejus ora modica: ex his alterum Hispaniense, alterum Metapinum: tertium, idemque amplissimum, Massalioti-

cum · Sunt auctores, & Heracleam oppidum in ostio Rhodani fuisse.

Ultra, fossæ ex Rhodano C. Marii opere, & nomine insignes: Stagnum, Mastramela: oppidum, Maritima Avaticorum: superque campi lapidei, Herculis prœliorum memoria: Regio Anatiliorum, & intus Desuviatium, Cavarumque. Rursus a mari Tricorium: & intus Tricollorum, Vocontiorum, & Segovellaunorum: mox Allobrogum. At in ora Massilia Græcorum Phocæensium, fœderata. Promontorium Zao: Citharista portus. Regio Camatullicorum. Dein Suelteri, supraque Verrucini. In ora autem Athenopolis Massiliensium, Forum Julii Octavanorum colonia, quæ Pacensis appellatur, & Classica: amnis in ea Argenteus. Regio, Oxubiorum Ligaunorumque; super quos Suetri, Quariates, Adunicates. At in ora oppidum Latinum Antipolis. Regio Deciatium: amnis Varus, ex Alpium monte Cema profusus.

In mediterraneo coloniæ: Arelate Sextanorum, Beterræ Septimanorum, Arausio Secundanorum. In agro Cavarum Valentia, Vienna Allobrogum. Oppida Latina: Aquæ Sextiæ Salluviorum, Avenio Cavarum, Apta Julia Vulgientium, Alebece Reiorum Apollinarium, Alba Helvorum, Augusta Tricastinorum: Anatilia, Aeria, Bormanni, Comacina, Cabellio, Carcasum Volcarum Tectosagum:

Cessero, Carpentoracte Meminorum: Cenicenses; Cambolectri, qui Atlantici cognominantur: Forum Voconii, Glanum Livii, Lutevani, qui & Foroneronienses: Nemausum Arecomicorum, Piscenæ, Ruteni, Sanagenses, Tolosani Tectosagum, Aquitaniæ contermini: Tasconi, Tarusconienses, Umbranici: Vocontiorum civitatis fœderatæ duo capita, Vasio, & Lucus Augusti. Oppida vero ignobilia XIX, sicut XXIV Nemausiensibus attributa. Adjecit formulæ Galba imperator ex Inalpinis Avanticos, atque Bodionticos, quorum oppidum Dinia. Longitudinem provinciæ Narbonensis CCLXX M pass. Agrippa tradit, latitudinem CCXLVIII.

VI. 5. Italia dehinc, primique ejus Ligures: mox Etruria, Umbria, Latium, ubi Tiberina ostia, & Roma terrarum caput, XVI M pass. intervallo a mari. Volscorum postea litus, & Campaniæ: Picentinum inde, ac Lucanum, Brutiumque, quò longissime in meridiem, ab Alpium fine, lunatis jugis in maria excurrit Italia. Ab eo Græciæ ora, mox Salentini, Pediculi, Apuli, Peligni, Frentani, Marrucini, Vestini, Sabini, Picentes, Galli, Umbri, Etrusci, Veneti, Carni, Iapides, Istri, Liburni. Nec ignoro, ingrati ac segnis animi existimari posse merito, si breviter atque in transcursu, ad hunc modum dicatur terra, omnium terrarum alumna, eadem & parens, numine deûm ele-

cta, quæ cælum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret, & tot populorum discordes ferasque linguas, sermonis commercio contraheret: colloquia, & humanitatem homini daret: breviterque, una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. Sed quid agam? Tanta nobilitas omnium locorum, (quos quis attigerit?) tanta rerum singularum populorumque claritas tenet. Urbs Roma, vel sola in ea, & digna tam festa cervice facies, quo tandem narrari debet opere? Qualiter Campaniæ ora per se, felixque illa ac beata amœnitas? ut palam sit, uno in loco gaudentis opus esse naturæ. Jam vero tanta ea vitalis ac perennis salubritatis cæli temperies, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxii saltus, tam opaca nemora, tam munifica silvarum genera, tot montium afflatus, tanta frugum & vitium, olearumque fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tot opima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiumque ubertas, totam eam perfundens, tot maria, portus, gremiumque terrarum commercio patens undique: & tamquam ad juvandos mortales, ipsa avide in maria procurrens. Neque ingenia, ritusque, ac viros, & lingua manuque superatas commemoro gentes. Ipsi de ea judicavere Græci, genus in gloriam suam effusissimum: quotam partem ex ea * appellando Græciam magnam? Nimirum id,

*) *eo*, sphalma Ed. Brot.

quod in mentione cæli fecimus, hac quoque in parte faciendum est, ut quasdam notas ac pauca sidera attingamus. Legentes tantum quæso meminerint, ad singula toto orbe edisserenda festinari.

Est ergo folio maxime querno adsimilata *, multo proceritate amplior, quam latitudine: in læva se flectens cacumine, & Amazonicæ figura desinens parmæ, ubi a medio excursu Cocinthos vocatur, per sinus lunatos duo cornua emittens, Leucopetram dextera, Lacinium sinistra. Patet longitudine ab Alpino fine Prætoriæ Augustæ, per Urbem Capuamque cursu meante, Rhegium oppidum in humero ejus situm, a quo veluti cervicis incipit flexus, decies centena & viginti millia passuum: multoque amplior mensura fieret Lacinium usque, ni talis obliquitas in latus digredi videretur. Latitudo ejus varia est: CCCCX millium inter duo maria, inferum & superum, amnesque Varum atque Arsiam: mediæ, atque ferme circa urbem Romam, ab ostio Aterni amnis in Adriaticum mare influentis, ad Tiberina ostia CXXXVI, & paulo minus a Castro novo Adriatici maris Alsium ad Tuscum æquor: haud ullo inde loco CC[a] in latitudinem excedens. Universæ autem ambitus a Varo ad Arsiam $\overline{XXX}$ pass. LIX efficit.

*) *adsimulata* sph. Ed. Brot. a) ccc. V. not. ad h. l.

Abest a circumdatis terris, Istria ac Liburnia quibusdam locis centena M pass. Ab Epiro & Illyrico quinquaginta. Ab Africa minus CCC[a], ut auctor est M. Varro. Ab Sardinia CXX M. Ab Sicilia M CCCCC. A Corsica minus LXXX. Ab Issa quinquaginta. Incedit per maria cæli regione ad meridiem quidem: sed si quis id diligenti subtilitate exigat, inter sextam horam primamque brumalem. Nunc ambitum ejus, urbesque enumerabimus. Qua in re præfari necessarium est, auctorem nos Divum Augustum secuturos, descriptionemque ab eo factam Italiæ totius in regiones XI, sed ordine eo, qui litorum tractu fiet: urbium quidem vicinitates oratione utique præpropera servari non posse: itaque interiori in parte digestionem in literas ejusdem nos secuturos, coloniarum mentione signata; quas ille in eo prodidit numero. Nec situs originesque persequi facile est, Ingaunis Liguribus (ut ceteri omittantur) agro tricies dato.

VII. Igitur ab amne Varo Nicæa oppidum a Massiliensibus conditum: fluvius Paulo[b]: Alpes, populique Inalpini multis nominibus, sed maxime Capillati: oppidum Vediantiorum civitatis Cemenelion[c]: portus Herculis Monœci, Ligustica ora. Ligurum celeberrimi ultra Alpes Salluvii, Deciates,

a) cc. V. ut sup. b) *Pado*. V. not. c) *Cemelion*. V. not.

Oxubii[a]: citra Veneni, & Caturigibus orti Vagienni, Statielli, Bimbelli[b], Magelli, Euburiates, Casmonates, Veleiates[c], & quorum oppida in ora proxime dicemus. Flumen Rutuba, oppidum Albium Intemelium; flumen Merula, oppidum Albium Ingaunum: portus Vadorum[d] Sabatiûm: flumen Porcifera, oppidum Genua: fluvius Feritor, portus Delphini: Tigullia: intus[e] & Segesta Tigulliorum: flumen Macra, Liguriæ finis. A tergo autem supra dictorum omnium Apenninus mons Italiæ amplissimus, perpetuis jugis ab Alpibus tendens ad Siculum fretum. Ab altero ejus latere ad Padum amnem Italiæ ditissimum, omnia nobilibus oppidis nitent: Libarna, Dertona colonia, Iria, Barderate, Industria, Pollentia, Carrea, quod Potentia cognominatur: Forofulvi, quod Valentinum: Augusta Vagiennorum, Alba Pompeja, Asta, Aquis Statiellorum. Hæc regio ex descriptione Augusti nona est. Patet ora Liguriæ inter amnes Varum & Macram, CCXI M passuum.

VIII. Adnectitur septimæ, in qua Etruria est, ab amne Macra, ipsa mutatis sæpe nominibus. Umbros inde exegere antiquitus Pelasgi: hos Lydi, a quorum rege Tyrrheni, mox a sacrifico ritu, lingua Græcorum Tusci sunt cognominati. Primum

a) *Oxybii*. b) *Vibelli*. V. not. ad h. l. c) *Veliates*.
d) *Vadûm*. e) *Tigullia intus*: *S*. absque &.

Etruriæ oppidum Luna portu nobile. Colonia Luca a mari recedens, propiorque Pisæ inter amnes Auserem & Arnum, ortæ a Pelope Pisisque, sive a Teutanis, Græca gente. Vada Volaterrana: fluvius Cecinna, Populonium Etruscorum quondam hoc tantum in litore. Hinc amnes Prille, mox Umbro navigiorum capax, & ab eo tractus Umbriæ, portusque Telamon: Cosa[a] Volcientium a Populo Romano deducta: Graviscæ, Castrum novum, Pyrgi. Cæretanus amnis, & ipsum Cære intus M pass. quatuor, Agylla a Pelasgis conditoribus dictum: Alsium, Fregenæ. Tiberis amnis a Macra CCLXXXIV M pass. Intus coloniæ: Falisca Argis orta, (ut auctor est Cato) quæ cognominatur Etruscorum, Lucus Feroniæ, Rusellana, Seniensis[b], Sutrina. De cetero Arretini[c] veteres, Arretini[c] Fidentes, Arretini[c] Julienses, Amitinenses, Aquenses cognomine Taurini, Blerani, Cortonenses, Capenates, Clusini novi, Clusini veteres, Florentini[d] præfluenti Arno adpositi, Fesulæ, Ferentinum, Fescennia, Hortanum, Herbanum, Nepet, Novem pagi, præfectura Claudia Foroclodii, Pistorium, Perusia, Suanenses, Saturnini qui antea Aurinini vocabantur, Subertani, Statones, Tarquinienses, Tuscanienses, Vetulonienses, Vejentani, Vesentini, Volaterrani,

a) *Cossa*. b) *Senensis*. c) *Aretini*. d) *Fluentini*.

Volcentini cognomine Etrusci, Volsinienses. In eadem parte oppidorum veterum nomina retinent agri Crustuminus, Caletranus.

IX. Tiberis, antea Tybris appellatus, & prius Albula, e media fere longitudine Apennini, finibus Arretinorum[a] profluit; tenuis primo, nec nisi piscinis corrivatus emissusque, navigabilis, sicuti Timia[b] & Glanis influentes in eum, novenorum ita conceptu dierum, si non adjuvent imbres. Sed Tiberis propter aspera & confragosa, ne sic quidem, præterquam trabibus verius quam ratibus, longe meabilis[c] fertur, per centum quinquaginta millia passuum non procul Tiferno, Perusiaque, & Ocriculo, Etruriam ab Umbris ac Sabinis: mox citra tredecim millia passuum Urbis Vejentem agrum a Crustumino, dein Fidenatem Latinumque a Vaticano dirimens: sed infra Arretinum[d] Glanim duobus & quadraginta fluviis auctus, præcipuis autem Nare & Aniene, qui & ipse navigabilis Latium includit a tergo: nec minus tamen aquis ac tot fontibus in Urbem perductis: & ideo quamlibet magnarum navium ex Italo mari capax, rerum in toto orbe nascentium mercator placidissimus, pluribus prope solus, quam ceteri in omnibus terris amnes, accolitur, aspiciturque villis. Nullique fluviorum minus

a) *Aretinorum*. b) *Tinia*. c) *meatibus*. V. not. ad h. l.
d) *Aretinum*.

licet, inclusis utrimque lateribus: nec tamen ipse pugnat, quamquam creber ac subitus[a] incrementis, & nusquam magis aquis quam in ipsa Urbe stagnantibus. Quin immo vates intelligitur potius ac monitor, auctu semper religiosus verius, quam sævus.

Latium antiquum a Tiberi Circejos servatum est, L M pass.[b] longitudine. Tam tenues primordio imperii fuere radices. Colonis sæpe mutatis, tenuere alii aliis temporibus, Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli. Et ultra Circejos Volsci, Osci, Ausones, unde nomen Latii processit ad Lirim amnem. In principio est Ostia, colonia a Romano rege deducta. Oppidum Laurentum, lucus Jovis Indigetis, amnis Numicius, Ardea a Danae Persei matre condita. Dein quondam Aphrodisium, Antium colonia, Astura flumen & insula. Fluvius Nympheus, Clostra Romana. Circeji quondam insula immenso quidem mari circumdata, (ut creditur Homero) at nunc planitie. Mirum est, quod hac de re tradere hominum notitiæ possumus. Theophrastus, qui primus externorum aliqua de Romanis diligentius scripsit: (nam Theopompus, ante quem nemo mentionem habuit, Urbem dumtaxat a Gallis captam dixit: Clitarchus ab eo proximus, legationem tantum ad Alexandrum missam:)

a) *subitis*. Vid. not. ad h. l. b) *mille passuum quinquaginta*. Sed v. ut sup.

hic jam plus quam & fama, Circejorum insulæ mensuram posuit stadia octoginta, in eo volumine, quod scripsit Nicodoro Atheniensium magistratu*, qui fuit Urbis nostræ CCCCXL anno. Quidquid est ergo terrarum, præter decem millia passuum prope ambitus, adnexum insulæ, post eum annum accessit Italiæ.

Aliud miraculum: A Circejis palus Pomptina est, quem locum XXXIII urbium fuisse Mucianus ter Consul prodidit. Dein flumen Ufens, supra quod Terracina oppidum, lingua Volscorum Anxur dictum; & ubi fuere Amyclæ a serpentibus deletæ. Dein locus speluncæ, lacus Fundanus, Cajeta portus. Oppidum Formiæ, Hormiæ prius olim dictum: ut existimavere, antiqua Læstrygonum sedes. Ultra fuit oppidum Pyræ: colonia Minturnæ, Liri amne divisa, Glani appellato. Oppidum Sinuessa extremum in adjecto Latio; quam quidam Sinopem dixere vocitatam.

Hinc felix illa Campania est. Ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles, & tumulentia nobilis succo per omnes terras inclyto, atque ( ut veteres dixere) summum Liberi patris cum Cerere certamen. Hinc Setini & Cæcubi protenduntur agri. His junguntur Falerni, Caleni. Dein consurgunt Massici,

*) Sc. magistratum gerente: *magistratui*, sphalma Ed. Brot.

Gaurani, Surrentinique montes. Ibi Laborini campi sternuntur, & in delicias alicæ populatur messis. Hæc litora fontibus calidis rigantur: præterque cetera in toto mari conchylio & pisce nobili adnotantur. Nusquam generosior oleæ liquor: & hoc quoque certamen humanæ voluptatis tenuere Osci, Græci, Umbri, Tusci, Campani.

In ora Savo fluvius: Vulturnum oppidum cum amne, Liternum, Cumæ Chalcidensium, Misenum, portus Baiarum, Bauli, lacus Lucrinus, & Avernus, juxta quem Cimmerium oppidum quondam. Dein Puteoli, colonia Dicæarchia dicti: postque Phlegræi campi, Acherusia palus Cumis vicina. Litore autem Neapolis Chalcidensium & ipsa, Parthenope a tumulo Sirenis appellata: Herculanium: Pompeji, haud procul aspectante monte Vesuvio, adluente vero Sarno amne: ager Nucerinus: & novem millia passuum a mari ipsa Nuceria. Surrentum cum promontorio Minervæ, Sirenum quondam sede. Navigatio a Circejis duodeoctoginta millia passuum patet. Regio ea a Tiberi prima Italiæ servatur, ex descriptione Augusti. Intus coloniæ: Capua ab campo dicta, Aquinum, Suessa, Venafrum, Sora, Teanum Sidicinum cognomine, Nola. Oppida: Abellinum, Aricia, Alba longa, Acerrani, Allifani, Atinates, Aletrinates, Anagnini, Atellani, Affilani, Arpinates, Auximates,

Avellani, Alfaterni; & qui ex agro Latino, item Hernico, item Labicano cognominati: Bovillæ, Calatiæ, Casinum, Calenum, Capitulum Hernicum, Cereatini, qui Mariani cognominantur: Corani a Dardano Trojano orti: Cubulterini, Castrimonienses, Cingulani: Fabienses, in monte Albano: Foropopulienses, ex Falerno: Frusinates, Ferentinates, Freginates, Fabraterni veteres, Fabraterni novi, Ficolenses, Foroappii, Forentani, Gabini, Interamnates Succasini, qui & Lirinates vocantur: Ilionenses Lavinii, Norbani, Nomentani, Prænestini, urbe quondam Stephane dicta, Privernates, Setini, Signini, Suessulani, Telini, Trebulani cognomine Balinienses, Trebani, Tusculani, Verulani, Veliterni, Ulubrenses, Ulvernates: superque Roma ipsa: cujus nomen alterum dicere, arcanis cærimoniarum nefas habetur: optimaque & salutari fide abolitum enuntiavit Valerius Soranus, luitque mox pœnas. Non alienum videtur inserere hoc loco exemplum religionis antiquæ, ob hoc maxime silentium institutæ. Namque Diva Angerona, cui sacrificatur a. d. XII Kalend. Januarii, ore obligato obsignatoque simulacrum habet.

Urbem tres portas habentem Romulus reliquit, aut (ut plurimas tradentibus credamus) quatuor. Mœnia ejus collegere ambitu Imperatoribus Censoribusque Vespasianis anno conditæ DCCCXXVI pass.

XIII M CC. Complexa montes septem, ipsa dividitur in regiones quatuordecim, compita Larium CCLXV. Ejusdem spatium, mensura currente a milliario, in capite Romani fori statuto, ad singulas portas, quæ sunt hodie numero triginta septem, ita ut duodecim semel numerentur, prætereanturque ex veteribus septem, quæ esse desierunt, efficit passuum per directum XXX M DCCLXV. Ad extrema vero tectorum cum castris Prætoriis ab eodem milliario per vicos omnium viarum mensura colligit paulo amplius septuaginta millia passuum. Quo si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æstimationem concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari. Clauditur ab oriente aggere Tarquinii Superbi, inter prima opere mirabili. Namque eum muris æquavit, qua maxime patebat aditu plano. Cetero munita erat præcelsis muris, aut abruptis montibus, nisi quod exspatiantia tecta multas addidere urbes.

In prima regione præterea fuere: in Latio clara oppida, *Satricum*, *Pometia*, *Scaptia*, *Pitulum*, *Politorium*, *Tellene*, *Tifata*, *Cænina*, *Ficana*, *Crustumerium*, *Ameriola*, *Medullia*, *Corniculum*, *Saturnia*, ubi nunc Roma est: *Antipolis*, quod nunc Janiculum in parte Romæ: *Antemnæ*, *Camerium*, *Collatia*, *Amitinum*, *Norbe*, *Sulmo*: &

cum his carnem in monte Albano soliti accipere populi Albenses, Albani, Æsolani, Acienses, Abolani, Bubetani, Bolani, Cusvetani, Coriolani, Fidenates, Foretii, Hortenses, Latinienses, Longulani, Manates, Macrales, Mutucumenses, Munienses, Numinienses, Olliculani, Octulani, Pedani, Pollustini, Querquetulani, Sicani, Sisolenses, Tolerienses, Tutienses, Vimitellarii, Velienses, Venetulani, Vitellenses. Ita ex antiquo Latio LIII populi interiere sine vestigiis. In Campano autem agro Stabiæ oppidum fuere usque ad Cn. Pompejum & L. Catonem Consules, pridie Kalend. Maji, quo die L. Sulla legatus bello sociali id delevit, quod nunc in villam abiit. Intercidit ibi & Taurania. Sunt & morientis Casilini reliquiæ. Præterea auctor est Antias, oppidum Latinorum Apiolas captum a L. Tarquinio rege, ex cujus præda Capitolium is inchoaverit. A Surrento ad Silarum amnem triginta millia passuum ager Picentinus fuit Tuscorum, templo Junonis Argivæ ab Jasone condito insignis. Intus oppidum Salerni, Picentia.

X. A Silaro regio tertia, & ager Lucanus Brutiusque incipit: nec ibi rara incolarum mutatione. Tenuerunt eam Pelasgi, Oenotrii, Itali Morgetes, Siculi, Græciæ maxime populi: novissime Lucani a Samnitibus orti duce Lucio. Oppidum Pæstum, Græcis Posidonia appellatum, sinus Pæstanus: op-

pidum

pidum Elea[a], quæ nunc Velia. Promontorium Palinurum: a quo sinu recedente trajectus ad columnam Rhegiam centum M pass. Proximum autem huic flumen Melpes: oppidum Buxentum, Græce Pyxus: Laus amnis: fuit & oppidum eodem nomine. Ab eo Brutium litus: oppidum Blanda, flumen Batum: portus Parthenius Phocensium: sinus Vibonensis, locus Clampetiæ: oppidum Temsa, a Græcis Temese dictum: & Crotoniensium Terina, sinusque ingens Terinæus. Oppidum Consentia, intus. In peninsula fluvius Acheron, a quo oppidani Acherontini. Hippo, quod nunc Vibonem Valentiam appellamus; Portus Herculis, Metaurus amnis, Tauroentum oppidum, Portus Orestis, & Medma. Oppidum Scyllæum, Cratais fluvius, mater (ut dixere) Scyllæ. Dein columna Rhegia: Siculum fretum, ac duo adversa promontoria: ex Italia Cænys, ex Sicilia Pelorum duodecim stadiorum intervallo. Unde Rhegium duodecim M D pass. Inde Apennini silva Sila, promontorium Leucopetra XII M pass. Ab ea Locri cognominati a promontorio Zephyrio, absunt a Silaro CCCIII M pass.

Et includitur Europæ sinus primus, in eoque maria nuncupantur: unde irrumpit, Atlanticum, ab aliis magnum: qua intrat, Porthmos a Græcis, a

a) *Helia*.

nobis Gaditanum fretum: cum intravit, Hispanum, quatenus Hispanias adluit[a]: ab aliis Ibericum, aut Balearicum: mox Gallicum ante Narbonensem provinciam: hinc Ligusticum. Ab eo ad Siciliam insulam Tuscum; quod ex Græcis alii Notium, alii Tyrrhenum, e nostris plurimi Inferum vocant. Ultra Siciliam ad Salentinos, Ausonium Polybius appellat. Eratosthenes autem inter ostium Oceani & Sardiniam quidquid est, Sardoum. Inde ad Siciliam Tyrrhenum. Ab hac Cretam usque Siculum. Ab ea Creticum.

XI. Insulæ per hæc maria primæ omnium Pityusæ a Græcis dictæ, a frutice pineo, nunc Ebusus vocatur utraque, civitate fœderata, angusto freto interfluente, patent XLVI M pass. Absunt a Dianio septingentis stadiis: totidem Dianium per continentem a Carthagine nova. Tantumdem a Pityusis in altum, Baleares duæ, & Sucronem versus Colubraria. Baleares funda bellicosas, Græci Gymnasias dixere. Major C M pass. est[b] longitudine, circuitu vero CCCLXXV M. Oppida habet civium Romanorum Palmam & Pollentiam: Latina, Cinium, & Tucim[c]: & fœderatum, Bocchorum fuit. Ab ea XXX M pass. distat minor: longitudine, XL M, circuitu CL M pass. Civitates habet Iamnonem, Sa-

a) *illuit*. b) *est* deest. c) *Cunici*. V. not. ad h. l.

niseram, Magonem. A majore XII M pass. in altum abest Capraria: insidiosa naufragiis; & e regione Palmæ urbis, Mænariæ*, ac Tiquadra, & parva Annibalis. Ebusi terra serpentes fugat, Colubrariæ parit. Ideo infesta omnibus, nisi Ebusitanam terram inferentibus. Græci Ophiusam dixere. Nec[a] cuniculos Ebusus gignit, populantes Balearium messes. Sunt aliæ XX ferme parvæ mari vadoso.

Galliæ autem ora, in Rhodani ostio, Metina: mox quæ Blascon vocatur: tres Stœchades a vicinis Massiliensibus dictæ propter ordinem, quas item nominant singulis vocabulis, Proten, & Mesen, quæ & Pomponiana vocatur: tertia Hypæa. Ab his Sturium, Phœnice, Phila: Lero, & Lerina adversum Antipolim, in qua Vergoani oppidi memoria.

XII. 6. In Ligustico mari est Corsica, quam Græci Cyrnon appellavere, sed Tusco propior: a septemtrione in meridiem projecta, longa passuum CL millia: lata majore ex parte quinquaginta: circuitu CCCXXV M. Abest a vadis Volaterranis LXII M pass. Civitates habet XXXIII & colonias; Marianam, a C. Mario deductam: Aleriam, a Dictatore Sulla. Citra est Oglasa: intra vero sexaginta millia passuum a Corsica, Planaria a specie dicta; æqualis freto, ideoque navigiis fallax.

*) *Menariæ*, sphalma Ed. Brot. male etiam omissa distinctione ante hoc verbum. a) *Nec* abest. Sed v. not.

Amplior Urgo, & Capraria, quam Græci Ægilon dixere: item Ægilium: & Dianium, quam Artemisiam: ambæ contra Cosanum litus: & Barpana, Mænaria*, Columbaria, Venaria. Ilva cum ferri metallis, circuitu centum millia, a Populonio decem, a Græcis Æthalia dicta. Ab ea Planasia, XXXVIII M. Ab his ultra Tiberina ostia in Antiano Astura, mox Palmaria, Sinonia, & adversum Formias Pontiæ. In Puteolano autem sinu Pandataria, Prochyta; non ab Æneæ nutrice, sed quia profusa ab Ænaria erat. Ænaria ipsa a statione navium Æneæ, Homero Inarime dicta, Græcis Pithecusa, non a simiarum multitudine, (ut aliqui existimavere) sed a figlinis doliorum. Inter Pausilypum & Neapolim Megaris: mox a Surrento octo millibus passuum distantes, Tiberii principis arce nobiles Capreæ, circuitu XI [a] M pass.

XIII. Mox Leucothea: extraque conspectum, pelagus Africum attingens, Sardinia, minus octo millibus passuum a Corsicæ extremis, etiamnum angustias eas arctantibus insulis parvis, quæ Cuniculariæ appellantur: itemque Phintonis, & Fossæ, a quibus fretum ipsum Taphros nominatur.

7. Sardinia ab oriente patens, CLXXXVIII millia passuum: ab occidente, CLXXV millia: a meri-

*) *Menaria*, sph. Ed. Brot. a) XL. V. not. ad h. l.

die, LXXVII millia: a septemtrione, CXXV circuitu DLXV millia: abest ab Africa Caralitano promontorio ducenta millia, a Gadibus quatuordecies centena. Habet & a Gorditano promontorio duas insulas, quæ vocantur Herculis: a Sulcensi, Enosin: a Caralitano, Ficariam. Quidam haud procul ab ea etiam Berelidas ponunt, & Collodem, & quam vocant Heras lutra. Celeberrimi in ea populorum, Ilienses, Balari, Corsi. Oppidorum XVIII Sulcitani, Valentini, Neapolitani, Bosenses, Caralitani, civium Romanorum, & Norenses. Colonia autem una, quæ vocatur ad turrim Libysonis. Sardiniam ipsam Timæus Sandaliotin appellavit ab effigie soleæ, Myrsilus Ichnusam a similitudine vestigii. Contra Pæstanum sinum Leucasia est, a Sirene ibi sepulta appellata. Contra Veliam, Pontia, & Iscia, utræque uno nomine Oenotrides, argumentum possessæ ab Oenotriis Italiæ. Contra Vibonem parvæ, quæ vocantur Ithacesiæ, ab Ulyssis specula.

XIV. 8. Verum ante omnes claritate Sicilia, Sicania a Thucydide dicta, Trinacria a pluribus, aut Triquetra, a triangula specie: circuitu patens, ut auctor est Agrippa, DCXVIII M pass. quondam Brutio agro cohærens, mox interfuso mari avulsa XV M in longitudinem freto, in latitudinem autem MD pass. juxta columnam Rhegiam. Ab hoc dehi-

scendi argumento, Rhegium Græci nomen dedere oppido, in margine Italiæ sito. In eo freto est scopulus Scylla: item Charybdis mare vorticosum: ambo clara sævitia. Ipsius Triquetræ, ut diximus, promontorium Pelorus vocatur, adversus Scyllam vergens in Italiam: Pachynum in Græciam, CCCCXL M ab eo distante Peloponneso: Lilybæum in Africam CLXXX M intervallo a Mercurii promontorio: & a Caralitano Sardiniæ CXC M. Inter se autem hæc promontoria ac latera distant his spatiis. Terreno itinere a Peloro Pachynum CLXXXVI [a] M pass. Inde Lilybæum, CC M: inde Pelorum, CLXX M. Coloniæ ibi quinque: urbes ac civitates LXIII. A Peloro mare Ionium ora spectante, oppidum Messana civium Romanorum, qui Mamertini vocantur. Promontorium Drepanum, colonia Tauromenium, quæ antea Naxos, flumen Asines: mons Ætna nocturnis mirus incendiis. Crater ejus patet ambitu stad. XX. Favilla Tauromenium & Catinam usque pervenit fervens; fragor vero ad Maronem & Gemellos colles. Scopuli tres Cyclopum, portus Ulyssis, colonia Catina. Flumina: Symæthum, Terias. Intus Læstrigonii campi. Oppida: Leontini, Megaris: amnis Pantagies. Colonia Syracusæ, cum fonte Arethusa. Quamquam & Temenitis, & Ar-

a) CLXXXXI.

chidemia, & Magæa, & Cyane, & Milichie fontes in Syracusano potantur agro. Portus Naustathmus, flumen Elorum, promontorium Pachynum: a qua fronte Siciliæ flumen Hirminium, oppidum Camarina, fluvius Gelas, oppidum Acragas, quod Agrigentum nostri dixere. Thermæ colonia: amnes, Achates, Mazara, Hypsa. Selinus oppidum. Lilybæum ab eo promontorium, Drepana, mons Eryx. Oppida: Panormum, *Solus*, Himera cum fluvio, Cephalœdis, Aluntium, Agatyrnum, Tyndaris colonia, oppidum Mylæ, & unde cœpimus, Pelorus.

Intus, Latinæ conditionis, Centuripini, Netini, Segestani. Stipendiarii, Assorini, Ætnenses, Agyrini, Acestæi, Acrenses, Bidini, Cetarini, Cacyrini, Drepanitani, Ergetini, Echetlienses, Erycini, Entellini, Etini, Enguini, Gelani, Galatani[a], Halesini, Hennenses, Hyblenses, Herbitenses, Herbessenses, Herbulenses, Halicyenses, Hadranitani, Imacarenses, Ichanenses, Ietenses, Mutustratini, Magellini, Murgentini, Mutycenses, Menanini, Naxii, Noæni, Petrini, Paropini, Phtinthienses, Semellitani, Scherini, Selinuntii, Symæthii, Talarenses, Tissinenses, Triocalini, Tyracinenses[b], Zanclæi Messeniorum in Siculo freto.

a) *Galatini*. b) *Tiracienses*.

Insulæ sunt in Africam versæ: Gaulos, Melita a Camerina LXXXIV M pass. a Lilybæo, CXIII Cosyra, Hieronesos, Cæne, Galata, Lopadusa, Æthusa, quam alii Ægusam scripserunt: Bucinna: & a Solunte LXXV[a] M Osteodes: contraque Paropinos Ustica. Citra vero Siciliam ex adverso Metauri amnis, XXV millibus ferme pass. ab Italia, VII Æoliæ appellatæ. Eædem Liparæorum, & Hephæstiades a Græcis, a nostris Vulcaniæ: Æoliæ, quod Æolus Iliacis temporibus ibi regnavit.

9. Lipara cum civium Rom. oppido dicta a Liparo rege, qui successit Æolo: antea Melogonis, vel Meligunis, vocitata: abest XXV M pass. ab Italia, ipsa circuitu paulo minor[b]. Inter hanc & Siciliam altera, antea Therasia appellata, nunc Hiera: quia sacra Vulcano est, colle in ea nocturnas evomente flammas. Tertia Strongyle, a Lipara M pass. ad exortum Solis vergens, in qua regnavit Æolus; quæ a Lipara liquidiore flamma tantum differt: e cujus fumo, quinam flaturi sint venti, in triduum prædicere incolæ traduntur: unde ventos Æolo paruisse existimatum. Quarta Didyme, minor quam Lipara. Quinta Ericusa. Sexta Phœnicusa, pabulo proximarum relicta: novissima eademque minima, Evonymos. Hactenus de primo Europæ sinu.

a) LXXX. b) *minori*.

XV. 10. A Locris Italiæ frons incipit, Magna Græcia appellata, in tres sinus recedens Ausonii maris; quoniam Ausones tenuere primi: patet octoginta sex mill. pass. ut auctor est Varro. Plerique LXXV M fecere. In ea ora flumina innumera, sed memoratu digna a Locris Sagra, & vestigia oppidi Caulonis, Mystia, Consilinum castrum, Cocinthum, quod esse longissimum Italiæ promontorium aliqui existimant. Dein sinus Scyllaceus: & Scyllacium, Scylletium Atheniensibus, cum conderent, dictum: quem locum occurrens Terinæus sinus peninsulam efficit: & in ea portus, qui vocatur Castra Annibalis, nusquam angustiore Italia: XX M pass. latitudo est. Itaque Dionysius major intercisam eo loco adjicere Siciliæ voluit. Amnes ibi navigabiles: Carcines, Crotalus, Semirus, Arocha, Targines. Oppidum intus Petilia: mons Clibanus, promontorium Lacinium: cujus ante oram insula X M pass.[a] a terra Dioscoron: altera Calypsus, quam Ogygiam appellasse Homerus existimatur: præterea Tiris, Eranusa, Meloessa. Ipsum a Caulone abesse LXX M pass. prodidit Agrippa.

11. A Lacinio promontorio secundus Europæ sinus incipit, magno ambitu flexus, & Acroceraunio Epiri finitus promontorio, a quo abest LXXV M pass. Oppido Croto, amnis Neæthus. Oppidum Thurii,

a) *pass.* deest.

inter duos amnes Crathin & Sybarin, ubi fuit urbs eodem nomine. Similiter est inter Sirin & Acirin Heraclia, aliquando Siris vocitata. Flumina: Acalandrum, Casventum: oppidum Metapontum, quo tertia Italiæ regio finitur. Mediterranei Brutiorum, Aprustani tantum: Lucanorum autem, Atenates, Bantini, Eburini, Grumentini, Potentini, Sontini, Sirini, Tergilani, Ursentini, Volcentani, quibus Numestrani junguntur. Præterea interiisse Thebas Lucanas Cato auctor est. Et Pandosiam Lucanorum urbem fuisse Theopompus, in qua Alexander Epirotes occubuerit.

XVI. Connectitur secunda regio, amplexa Hirpinos, Calabriam, Apuliam, Salentinos, CCL M sinu, qui Tarentinus appellatur, ab oppido Laconum, in recessu hoc intimo sito, contributa eo maritima colonia, quæ ibi fuerat. Abest CXXXVI M pass. a Lacinio promontorio, adversam ei Calabriam in peninsulam emittens. Græci Messapiam a duce appellavere; & ante Peucetia*, a Peucetio Oenotri fratre, in Salentino agro. Inter promontoria C M pass. intersunt. Latitudo peninsulæ a Tarento Brundisium terreno itinere XXXV M pass. patet, multoque brevius a portu Sasina. Oppida per continentem a Tarento, Varia, cui cognomen Apulæ, Messapia, Aletium. In ora vero, Senum, Callipolis,

*) *Peucetiam*, sphalma Ed. Brot.

quæ nunc est Anxa, LXXV M pass. a Tarento. Inde XXXII M promontorium, quod Acran Iapygian vocant, quo longissime in maria excurrit Italia. Ab eo Basta oppidum & Hydruntum decem ac novem M pass. ad discrimen Ionii & Adriatici maris, qua in Græciam brevissimus transitus, ex adverso Apolloniatûm oppidum: latitudine intercurrentis freti, quinquaginta M non amplius. Hoc intervallum pedestri continuare transitu pontibus jactis primum Pyrrhus Epiri rex cogitavit: post eum M. Varro, cum classibus Pompeji piratico bello præesset. Utrumque aliæ impedivere curæ. Ab Hydrunte, Soletum desertum, dein Fratuertium *: portus Tarentinus, statio Miltopæ: Lupia, Balesium, Cælium, Brundisium, L M pass. ab Hydrunte, in primis Italiæ portu nobile, ac velut certiore transitu, sic utique longiore, excipiente Illyrica urbe Dyrrhachio CCXXV M trajectu. Brundisio conterminus Pediculorum ager. Novem adolescentes, totidemque virgines ab Illyriis tredecim populos genuere. Pediculorum oppida, Rudiæ, Egnatia, Barium. Amnes: Iapyx a Dædali filio rege, a quo & Iapygia: Pactius, Aufidus ex Hirpinis montibus Canusium præfluens.

Hinc Apulia Dauniorum cognomine, a duce Diomedis socero. In qua oppidum Salapia, Anni-

*) *Fratruertium*, forte, sphalma Ed. Brot.

balis meretricio amore inclytum: Sipontum, Uria: amnis Cerbalus, Dauniorum finis: portus Agasus, promontorium montis Gargani, a Salentino sive Iapygio CCXXXIV M pass. ambitu Gargani: portus Garnæ, lacus Pantanus. Flumen portuosum Frento, Teanum Apulorum: itemque Larinatum Cliternia: Tifernus amnis. Inde regio Frentana. Ita Apulorum genera tria: Teani, duce e Grajis: Lucani, subacti a Calchante, quæ loca nunc tenent Atinates. Dauniorum præter supra dicta coloniæ, Luceria, Venusia. Oppida: Canusium, Arpi, aliquando Argos Hippium Diomede condente, mox Argyrippa dictum. Diomedes ibi delevit gentes Monadorum, Dardorumque, & urbes duas, quæ in proverbii ludicrum vertere, Apinam & Tricam.

Cetero intus in secunda regione, Hirpinorum colonia una Beneventum, auspicatius mutato nomine, quæ quondam appellata Maleventum: Ausculani, Aquiloni, Abellinates cognomine Protropi, Compsani, Caudini: Ligures, qui cognominantur Corneliani, & qui Bebiani: Vescellani. Æculani, Aletrini, Abellinates cognominati Marsi, Atrani, Æcani, Alfellani, Attinates, Arpani, Borcani, Collatini, Corinenses, & nobiles clade Romana, Cannenses, Dirini, Forentani, Genusini, Herdonienses, Hyrini, Larinates, cognomine Frentani, Merinates, ex Gargano: Mateolani, Netini, Ru-

bustini, Silvini: Strabellini, Turmentini, Vibinates, Venusini, Ulurtini. Calabrorum mediterranei: Ægetini, Apamestini, Argentini, Butuntinenses, Deciani, Grumbestini, Norbanenses, Paltonenses, Sturnini, Tutini. Salentinorum: Aletini, Basterbini, Neretini, Valentini, Veretini.

XVII. 12. Sequitur regio quarta gentium vel fortissimarum Italiæ. In ora, Frentanorum, a Tiferno: flumen Trinium portuosum. Oppida: Histonium, Buca, Ortona: Aternus amnis. Intus Anxani cognomine Frentani. Carentini supernates, & infernates, Lanuenses: Marrucinorum Teatini: Pelignorum Corfinienses, Superequani, Sulmonenses: Marsorum Anxantini, Atinates, Fucentes, Lucenses, Maruvii: Albensium Alba ad Fucinum lacum: Æquiculanorum, Cliternini, Carseolani: Vestinorum, Angulani, Pinnenses, Peltuinates, quibus junguntur Aufinates Cismontani: Samnitium, quos Sabellos, & Græci Saunitas dixere, colonia Bovianum vetus, & alterum cognomine Undecumanorum. Aufidenates, Esernini, Fagifulani, Ficolenses, Sæpinates, Treventinates: Sabinorum Amiternini, Curenses, Forum Decii, Forum novum, Fidenates, Interamnates, Nursini, Nomentani, Reatini, Trebulani, qui cognominantur Mutuscæi, & qui Suffenates, Tiburtes, Tarinates. In hoc situ ex Æquiculis interiere Comini, Tadiates, Cædici, Alfater-

ni. Gellianus auctor est, lacu Fucino haustum Marsorum oppidum Archippe, conditum a Marsya duce Lydorum: item Viticinorum in Piceno deletum a Romanis, Valerianus. Sabini (ut quidam existimavere, a religione & Deorum cultu Sevini appellati:) Velinos accolunt lacus, roscidis collibus. Nar amnis exhaurit illos sulphureis aquis. Tiberim ex his petens replet, e monte Fiscello labens, juxta Vacunæ nemora & Reate in eosdem conditus. At ex alia parte Anio, in monte Trebanorum ortus, lacus tres amœnitate nobiles, qui nomen dedere Sublaqueo, defert in Tiberim. In agro Reatino Cutiliæ lacum, in quo fluctuet insula, Italiæ umbilicum esse M. Varro tradit. Infra Sabinos Latium est, a latere Picenum, a tergo Umbria, Apennini jugis Sabinos utrimque vallantibus.

XVIII. 13. Quinta regio Piceni est, quondam uberrimæ multitudinis. Trecenta LX millia Picentium in fidem populi Romani venere. Orti sunt a Sabinis voto vere sacro. Tenuere ab Aterno amne, ubi nunc ager Adrianus, & Adria colonia a mari VII M pass. Flumen Vomanum: ager Prætutianus, Palmensisque. Item Castrum novum, flumen Batinum, Truentum cum amne: quod solum Liburnorum in Italia reliquum est. Flumen Albula: Tervium, quo finitur Prætutiana regio, & Picentium incipit. Cupra oppidum, castellum Firmanorum: & super

id colonia Asculum, Piceni nobilissima[a]. Intus, Novana: in ora, Cluana, Potentia, Numana, a Siculis condita. Ab iisdem colonia Ancona, adposita promontorio Cumero in ipso flectentis se oræ cubito: a Gargano CLXXXIV[b] M pass. Intus Auximates, Beregrani, Cingulani, Cuprenses cognomine Montani, Falarienses, Pausulani, Pleninenses, Ricinenses, Septempedani, Tollentinates, Trejenses, Urbesalvia Pollentini.

XIX. 14. Jungetur[c] hic sexta regio, Umbriam complexa, agrumque Gallicum circa Ariminum. Ab Ancona Gallica ora incipit, Togatæ Galliæ cognomine. Siculi & Liburni plurima ejus tractus tenuere, in primis Palmensem, Prætutianum, Adrianumque agrum. Umbri eos expulere, hos Etruria, hanc Galli. Umbrorum gens antiquissima Italiæ existimatur, ut quos Ombrios a Græcis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus superfuissent. Trecenta eorum oppida Tusci debellasse reperiuntur. Nunc in ora flumen, Æsis: Senogallia. Metaurus fluvius: coloniæ, Fanum Fortunæ, Pisaurum cum amne. Et intus Hispellum, Tuder. De cetero Amerini, Attidiates, Asisinates[d], Arnates, Æsinates, Camertes, Casuentillani, Carsulani, Dolates cognomine Salentini, Fulginates, Foroflaminienses,

a) *nobiliſſima, intuſ. Novana in ora*: C. sed v. not. ad h. l.
b) CLXXXIII. c) *Jungitur bis*. d) *Aſirinateſ*.

Forotulienses, cognomine Concupienses[a]: Forobrentani, Forosempronienses, Iguini[b], Interamnates, cognomine Nartes: Mevanates, Mevanionenses, Matilicates: Narnienses, quod oppidum Nequinum antea vocatum est: Nucerini cognomine Favonienses, & Camellani: Ocriculani, Ostrani Pitulani, cognomine Pisuertes, & alii Mergentini: Pelestini, Sentinates, Sarsinates, Spoletini, Suasani, Sestinates, Suillates, Tadinates, Trebiates, Tuficani, Tifernates cognomine Tiberini, & alii Metaurenses: Vesionicates, Urbanates cognomine Metaurenses, & alii Hortenses: Vettonenses, Vindenates[c], Viventani. In hoc situ interiere Feliginates, & qui Clusiolum tenuere supra Interamnam: & Sarranates, cum oppidis, Acerris, quæ Vatriæ cognominabantur, Turocelo, quod Netriolum. Item Solinates *, Curiates, Fallienates, Apiennates. Interiere & Arienates cum Crinovolo, & Usidicani, & Plangenses, Pisinates, Cælestini. Ameriam suprascriptam Cato ante Persei bellum conditam annis DCCCCLXIV prodidit.

XX. 15. Octava regio determinatur Arimino, Pado, Apennino. In ora fluvius Crustumium, Ariminum colonia cum amnibus Arimino & Prusa[d]: Fluvius hinc Rubico, quondam finis Italiæ. Ab eo

Sapis,

a) *Forojulienses c. Concubienses*. V. not. ad h. l. b) *Iguvini*.
c) *Vindinates*. *) Post *Sol.* distinctio desideratur in Ed. Brot.
d) *Aprusa*.

Sapis, & Vitis, & Anemo: Ravenna Sabinorum oppidum, cum amne Bedese, ab Ancona CV M pass. Nec procul a mari, Umbrorum Butrium. Intus coloniæ: Bononia, Felsina vocitata, cum princeps Etruriæ esset: Brixillum, Mutina, Parma, Placentia. Oppida: Cæsena, Claterna, Forum Clodii, Livii, Popilii, Truentinorum, Cornelii: Faventini, Fidentini, Otesini, Padinates, Regienses a Lepido, Solonates Saltusque[a] Galliani qui cognominantur Aquinates: Tannetani, Veleiates[b] cognomine veteri[c] Regiates: Umbranates[d]. In hoc tractu interierunt Boji, quorum tribus CXII fuisse auctor est Cato: item Senones, qui ceperant Romam.

16. Padus e[e] gremio Vesuli montis celsissimum in cacumen Alpium elati, finibus Ligurum Vagiennorum, visendo fonte profluens, condensque sese cuniculo, & in Forovibiensium agro iterum exoriens, nulli amnium claritate inferior: Græcis dictus Eridanus, ac pœna Phaethontis illustratus: augetur ad Canis ortus liquatis nivibus: agris quamvis torrentior, nil tamen ex rapto sibi vindicans; atque ubi liquit agros, ubertate largior: trecentis M pass. a fonte addens meatu duodenonaginta; nec amnes tantum Apenninos Alpinosque navigabiles capiens, sed lacus quoque immensos in eum sese

a) *Saltesque*. b) *Veliates*. c) *Vecteri*: *R*. d) *Urbanates*. e) *e* abest.

exonerantes, omni numero XXX flumina in mare Adriaticum defert. Celeberrima ex iis, Apennini latere jactum Tanarum: Trebiam Placentinum: Tarum, Inciam[a], Gabellum, Scultennam, Rhenum: Alpium vero Sturam, Orgum, Durias duas, Sessiten, Ticinum, Lambrum, Adduam, Ollium, Mincium. Nec alius amnium tam brevi spatio majoris incrementi est. Urgetur quippe aquarum mole, & in profundum agitur, gravis terræ, quamquam deductus in flumina, & fossas inter Ravennam Altinumque per CXX M pass. tamen qua largius vomit, septem maria dictus facere.

Augusta[b] fossa Ravennam trahitur, ubi Padusa vocatur, quondam Messanicus appellatus. Proximum inde ostium magnitudinem portus habet, qui Vatreni dicitur, quo Claudius Cæsar e Britannia triumphans, prægrandi illa domo verius quam nave intravit Adriam. Hoc ante Eridanum ostium dictum est, aliis Spineticum, ab urbe Spina, quæ fuit juxta, prævalens, ut Delphicis creditum est thesauris, condita a Diomede. Auget ibi Padum Vatrenus amnis, ex Forocorneliensi agro.

Proximum inde ostium Caprasiæ, dein Sagis, inde[c] Volane, quod ante Olane vocabatur. Omnia ea flumina, fossasque, primi a Sagi fecere Tusci:

a) *Niciam*. b) *Angusta*. V. not. ad h. l. c) *dein*.

egesto amnis impetu per transversum in Atrianorum paludes, quæ septem maria appellantur, nobili portu oppidi Tuscorum Atriæ, a quo Atriaticum mare ante appellabatur, quod nunc Adriaticum.

Inde ostia plena[a] Carbonaria ac fossiones Philistinæ, quod alii Tartarum vocant: omnia ex Philistinæ fossæ abundatione nascentia: accedentibus Atesi[b] ex Tridentinis Alpibus, & Togisono ex Patavinorum agris. Pars eorum & proximum portum fecit Brundulum, sicut Edronem Meduaci[c] duo, ac Fossa Clodia. His se Padus miscet, ac per hæc effunditur, plerisque, ut in Ægypto Nilus, quod vocant Delta, triquetram figuram inter Alpes atque oram maris facere proditus, stad. duum M circuitu. Pudet a Græcis Italiæ rationem mutuari. Metrodorus tamen Scepsius dicit, quoniam circa fontem arbor multa sit picea, quales Gallice vocentur Padi, hoc nomen accepisse. Ligurum quidem lingua amnem ipsum Bodincum vocari, quod significet fundo carentem. Cui argumento adest oppidum juxta Industria, vetusto nomine Bodincomagum, ubi præcipua altitudo incipit.

XXI. 17. Transpadana appellatur ab eo regio undecima, tota in mediterraneo, cui maria cuncta fructuoso alveo importat[d]. Oppida: Vibiforum[e],

a) *o. plena: C.* b) *Athesi.* c) *Medoaci.* d) *important.* Sed v. not. ad h. l. e) *Vibi forum.*

Segusio. Coloniæ ab Alpium radicibus, Augusta Taurinorum, antiqua Ligurum stirpe, inde navigabili Pado. Dein Salassorum Augusta Prætoria, juxta geminas Alpium fores Graias atque Peninas[a]. His Pœnos, Graiis Herculem transisse memorant. Oppidum Eporedia, Sibyllinis a populo Romano conditum jussis. Eporedias Galli bonos equorum domitores vocant. Vercellæ Libicorum ex Salluviis[b] ortæ, Novaria ex Vertacomacoris, Vocontiorum hodieque pago, non (ut Cato existimat) Ligurum: ex quibus Lævi[c] & Marici condidere Ticinum, non procul a Pado: sicut Boii transalpibus profecti[d] Laudem Pompejam, Insubres Mediolanum. Orobiorum stirpis esse, Comum, atque Bergomum, & Liciniforum[e], & aliquot circa populos auctor est Cato: sed originem gentis ignorare se fatetur, quam docet Cornelius Alexander ortam a Græcia, interpretatione etiam nominis, vitam in montibus degentibus. In hoc situ interiit oppidum Orobiorum Barra, unde Bergomates Cato dixit ortos, etiamnum prodente se altius quam fortunatius situm. Interiere & Caturiges Insubrum exsules, & Spina supra dicta. Item Melpum opulentia præcipuum, quod ab Insubribus, & Bojis, & Senonibus deletum esse eo

a) *Pœninas.* b) *Sallyis.* c) *Levi.* d) *trans Alpes provecti.* V. not. ad h. l. e) *Licini forum.*

die, quo Camillus Veios ceperit, Nepos Cornelius tradidit.

XXII. 18. Sequitur decima regio Italiæ, Adriatico mari adposita: cujus Venetia: fluvius Silis ex montibus Tarvisanis. Oppidum Altinum, flumen Liquentia ex montibus Opiterginis, & portus eodem nomine: colonia Concordia: flumina & portus, Romatinum, Tiliaventum[a] majus, minusque, Anaxum[b], quo Varianus defluit: Alsa, Natiso, cum Turro, præfluentes Aquilejam coloniam, XV M pass. a mari sitam. Carnorum hæc regio, junctaque Iapydum: amnis Timavus, castellum nobile vino Pucinum: Tergestinus sinus, colonia Tergeste, XXXIII[c] M pass. ab Aquileja. Ultra quam, VI M pass. Formio amnis, ab Ravenna CLXXXIX M passuum antiquus auctæ Italiæ terminus, nunc vero Istriæ: quam cognominatam a flumine Istro, in Adriam effluente e Danubio amne, eodemque Istro, adversum Padi fauces, contrario eorum percussu mari interjecto dulcescente, plerique dixere falso, & Nepos etiam Padi accola. Nullus enim ex Danubio amnis in mare Adriaticum effunditur. Deceptos credo, quoniam Argo navis flumine in mare Adriaticum descendit, non procul Tergeste, nec jam constat quo flumine. Humeris travectam

a) *Tilaventum*. b) *Anassum*, *in quod Varramus d.*
c) XXIII. V. not. ad h. l.

Alpes, diligentiores tradunt. Subiisse autem Istro, dein Savo, dein Nauporto, cui nomen ex ea causa est, inter Æmonam Alpesque exorienti.

XXIII. 19. Istria, ut peninsula, excurrit. Latitudinem ejus XL M pass. circuitum vero CXXV M prodidere quidam. Item adhærentis Liburniæ & Flanatici sinus. Alii Liburniæ CLXXX M [a]. Nonnulli in Flanaticum sinum Iapydiam promovere, a tergo Istriæ, CXXX M pass. Dein Liburniam CL M fecere. Tuditanus, qui domuit Istros, in statua sua ibi inscripsit: Ab Aquileja ad Titium flumen stad. M. Oppida Istriæ civium Rom. Ægida, Parentium: colonia, Pola, quæ nunc Pietas Julia, quondam a Colchis condita. Abest a Tergeste C M pass. Mox oppidum Nesactium: & nunc finis Italiæ fluvius Arsia. Polam ab Ancona trajectus CXXX M pass. est.

In mediterraneo regionis decimæ, coloniæ: Cremona, Brixia, Cenomanorum agro: Venetorum autem, Ateste: & oppida Acelum, Patavium, Opitergium, Belunum, Vicetia: Mantua Tuscorum trans Padum sola reliqua. Venetos Trojana stirpe ortos, auctor est Cato: Cenomanos juxta Massiliam habitasse in Volcis. Fertini, & Tridentini, & Berunenses, Rætica oppida: Rætorum & Eu-

a) *M. pass.*

ganeorum Verona, Julienses Carnorum. Dein quos scrupulose dicere non attineat, Alutrenses, Asseriates, Flamonienses Vannienses[a], & alii cognomine Culici: Forojulienses cognomine Transpadani, Foretani, Nedinates, Quarqueni, Taurisani, Togienses, Varbari. In hoc situ interiere per oram Iramine, Pellaon, Palsatium: ex Venetis Atina, & Cælina: Carnis, Segeste, & Ocra: Tauriscis Noreja. Et ab Aquileja ad duodecimum lapidem, deletum oppidum etiam invito Senatu, a Claudio Marcello, L. Piso auctor est. In hac regione & undecima lacus inclyti sunt, amnesque eorum partus aut alumni: si modo acceptos reddunt, ut Adduam Larius, Ticinum Verbanus, Mincium Benacus, Ollium Sebinus, Lambrum Eupilis, omnes incolas Padi.

Alpes in longitudinem x̄ pass. patere a supero mari ad inferum, Cælius tradit: Timagenes XXII M pass. deductis: in latitudinem autem Cornelius Nepos centum M, T. Livius tria M stadiorum: uterque diversis in locis. Nam & centum millia excedunt aliquando, ubi Germaniam ab Italia submovent: nec LXX M explent reliqua sui parte graciles, veluti naturæ providentia. Latitudo Italiæ, subter radices earum a Varo, per vada Sabatia,

a) *Vanienses.*

Taurinos, Comum, Brixiam, Veronam, Vicetiam, Opitergium, Arsiam, DCCXLV millia passuum colligit.

XXIV. 20. Incolæ Alpium multi populi, sed illustres a Pola ad Tergestis regionem Secusses, Subocrini, Catali, Monocaleni: juxtaque Carnos quondam Taurisci appellati, nunc Norici. His contermini Ræti[a] & Vindelici, omnes in multas civitates divisi. Rætos Tuscorum prolem arbitrantur, a Gallis pulsos duce Ræto. Verso deinde Italiam pectore Alpium, Latini juris Euganeæ gentes, quarum oppida XXXIV enumerat Cato. Ex iis Triumpilini, venalis cum agris suis populus: dein Camuni, compluresque similes finitimis adtribuit municipiis. Lepontios & Salassos, Tauriscæ gentis idem Cato arbitratur. Ceteri fere Lepontios relictos ex comitatu Herculis, interpretatione Græci nominis credunt, præustis in transitu Alpium nive membris: ejusdem exercitus & Graios fuisse, Graiarum Alpium incolas, præstantesque genere Euganeos, inde tracto nomine. Caput eorum Stœnos[b]: Rætorum Vennonetes, Sarunetesque ortus Rheni amnis accolunt: Lepontiorum, qui Viberi vocantur, fontem Rhodani, eodem Alpium tractu. Sunt præterea Latio donati incolæ, ut Octodurenses, & finitimi Centro-

a) *Rhæti*, & sic alibi. b) *Stonos*.

nes, Cottianæ civitates: Caturiges, & ex Caturigibus orti Vagienni Ligures, & qui Montani vocantur: Capillatorumque plura genera ad confinium Ligustici maris.

Non alienum videtur hoc loco subjicere inscriptionem e tropæo[a] Alpium, quæ talis est: IMPERATORI CÆSARI DIVI F. AUG. PONTIFICI MAXIMO, IMP. XIIII. TRIBUNICIÆ POTESTATIS XVII.[b] S. P. Q. R. QUOD EJUS DUCTU AUSPICIISQUE GENTES ALPINÆ OMNES, QUÆ A MARI SUPERO AD INFERUM PERTINEBANT, SUB IMPERIUM POP. ROM. SUNT REDACTÆ. GENTES ALPINÆ DEVICTÆ: TRIUMPILINI, CAMUNI, VENOSTES, VENNONETES, ISARCI, BREUNI, GENAUNES, FOCUNATES: VINDELICORUM GENTES QUATUOR, CONSUANETES, RUCINATES, LICATES, CATENATES: AMBISONTES, RUGUSCI, SUANETES, CALUCONES, BRIXENTES, LEPONTII, VIBERI, NANTUATES, SEDUNI, VERAGRI, SALASSI, ACITAVONES, MEDULLI, UCENI, CATURIGES, BRIGIANI, SOGIONTII, BRODIONTII, NEMALONI, EDENATES, ESUBIANI, VEAMINI, GALLITÆ, TRIULATTI, ECTINI, VERGUNNI, EGUITURI, NEMENTURI, ORATELLI, NERUSI, VELAUNI, SUETRI. Non ſunt adjectæ Cottianæ civitates XII, quæ non fuerunt hoſtiles: item adtributæ municipiis lege Pompeja. Hæc eſt Italia diis ſacra, hæ gentes ejus, hæc oppida populorum. Super hæc Italia, quæ L. Æmilio Paulo, C. Atilio Regulo

a) *trophæo*. b) XVII. abeſt.

Consulibus, nuntiato Gallico tumultu, sola sine externis ullis auxiliis, atque etiam tunc sine transpadanis, equitum LXXX M, peditum DCC M armavit. Metallorum omnium fertilitate nullis cedit terris. Sed interdictum id vetere consulto patrum, Italiæ parci jubentium.

XXV. 21. Arsiæ gens Liburnorum jungitur, usque ad flumen Titium. Pars ejus fuere Mentores, Hymani, Encheleæ, Buni, & quos Callimachus Peucetias appellat: nunc totum uno nomine Illyricum vocatur generatim, populorum pauca effatu digna, aut facilia nomina. Conventum Scardonitanum petunt Iapydes, & Liburnorum civitates XIV, e quibus Lacinienses, Stlupinos, Burnistas, Olbonenses nominare non pigeat. Jus Italicum habent eo conventu Alutæ, Flanates, a quibus sinus nominatur: Lopsi, Varvarini, immunesque Assesiates, & ex insulis Fertinates, Curictæ. Ceterum per oram oppida a Nesactio, Alvona, Flanona, Tarsatica, Senia, Lopsica, Ortopula, Vegium, Argyruntum, Corinium, Ænona civitas Pasini: Flumen Tedanium, quo finitur Iapydia. Insulæ ejus sinus cum oppidis, præter supra significatas, Absyrtium, Arba, Crexa, Gissa, Portunata. Rursus in continente colonia Jadera, quæ a Pola CLX mill. pass. abest: inde triginta mill. Colentum insula: XVIII ostium Titii fluminis.

XXVI. 22. Liburniæ finis, & initium Dalmatiæ Scardona, in amne eo, xii mill. pass. a mari. Dein Tariotarum antiqua regio, & castellum Tariona: promontorium Diomedis; vel ut alii peninsula Hyllis, circuitu c m pass. Tragurium civium Romanorum, marmore notum: Sicum, in quem locum Divus Claudius veteranos misit. Salona colonia, ab Jadera cxii m pass. Petunt in eam jura descripti in decurias cccxlii[a] Dalmatæ; xxii Decuni; ccxxxix Ditiones; cclxix[b] Mazæi; lii Sardiates. In hoc tractu sunt, Burnum, Andetrium, Tribulium, nobilitata populi Romani prœliis castella. Petunt & ex insulis, Issæi, Colentini, Separi, Epetini. Ab his castella, Peguntium[c], Rataneum: Narona colonia tertii conventus, a Salona lxxxii[d] mill. pass. adposita cognominis sui fluvio, a mari xx mill. pass. M. Varro lxxxix civitates eo ventitasse auctor est. Nunc soli prope noscuntur Cerauni decuriis xxiv, Daorizi xvii, Dæsitiates ciii, Docleatæ xxxiii, Deretini xiv, Deremistæ xxx, Dindari xxxiii, Glinditiones xliv, Melcomani xxiv, Naresii cii, Scirtari lxxii, Siculotæ xxiv, populatoresque quondam Italiæ Vardæi, non ampliusquam xx decuriis. Præter hos tenuere tractum eum Ozuæi, Partheni, Hemasini, Arthitæ, Armistæ. A Naro-

a) ccclxxxii. b) lxix. c) *Piguntiæ*. d) lxxii.

ne amne c M pass. abest Epidaurum colonia. Ab Epidauro sunt oppida civium Roman. Rhizinium, Ascrivium, Butua, Olchinium, quod antea Colchinium dictum est, a Colchis conditum: amnis Drilo, superque eum oppidum civium Romanorum Scodra, a mari XIII[a]M pass. Præterea multorum Græciæ oppidorum deficiens memoria, nec non & civitatum validarum. Eo namque tractu fuere Labeatæ, Enderoduni, Sassæi, Grabæi, proprieque dicti Illyrii, & Taulantii, & Pyræi. Retinet nomen in ora Nympheum[b] promontorium: Lissum oppidum civium Romanorum ab Epidauro c M pass.

23. A Lisso Macedoniæ provincia: gentes Partheni, & a tergo eorum Dassaretæ montes Candaviæ a Dyrrachio LXXVIII mill. pass. In ora vero Denda civium Romanorum, Epidamnum colonia, propter inauspicatum nomen a Romanis Dyrrachium appellata: flumen Aous, a quibusdam Æas nominatum: Apollonia, quondam Corinthiorum colonia, IV M pass. a mari recedens: cujus in finibus celebre Nympheum[b] accolunt barbari, Amantes & Buliones. At in ora oppidum Oricum a Colchis conditum. Inde initium Epiri, montes Acroceraunia, quibus hunc Europæ determinavimus sinum. Oricum, a Salentino Italiæ promontorio distat LXXXV M passuum.

a) XVII. b) *Nymphæum*.

XXVII. 24. A tergo Carnorum & Iapydum, qua se fert magnus Iſter, Rætis junguntur Norici. Oppida eorum: Virunum, Celeja, Teurnia, Aguntum, Vianiomina, Claudia, Flavium Solvenſe. Noricis junguntur lacus Peiſo, deſerta Bojorum: jam tamen colonia Divi Claudii Sabaria, & oppido Scarabantia Julia habitantur.

XXVIII. 25. Inde glandifera Pannoniæ, qua miteſcentia Alpium juga, per medium Illyricum a ſeptemtrione ad meridiem verſa, molli in dextra ac læva devexitate conſidunt. Quæ pars ad mare Adriaticum ſpectat, appellatur Dalmatia, & Illyricum ſupra dictum. Ad ſeptemtriones Pannonia vergit: finitur inde Danubio. In ea coloniæ, Æmona, Siſcia. Amnes clari & navigabiles in Danubium defluunt, Draus e Noricis violentior, Saus ex Alpibus Carnicis placidior: CXX M paſs. intervallo, Draus per Serretes, Serrapillos, Iaſos, Andizetes: Saus per Colapianos, Breucoſque. Populorum hæc capita. Præterea Arivates, Azali, Amantes, Belgites, Catari, Cornacates, Eraviſci, Hercuniates, Latovici, Oſeriates, Varciani. Mons Claudius, cujus in fronte Scordiſci, in tergo Tauriſci. Inſula in Savo Metubarris, amnicarum maxima. Præterea amnes memorandi, Colapis in Saum influens juxta Siſciam, gemino alveo inſulam ibi efficit, quæ Segeſtica appellatur. Alter amnis Bacuntius in Saum

Sirmio oppido influit: ubi civitas Sirmienſium, & Amantinorum. Inde XLV M paſſuum Taurunum, ubi Danubio miſcetur Saus. Supra influunt Valdaſus, Urpanus & ipſi non ignobiles.

XXIX. 26. Pannoniæ jungitur provincia, quæ Mœſia appellatur, ad Pontum uſque cum Danubio decurrens. Incipit a confluente ſupra dicto. In ea Dardani, Celegeri, Triballi, Timachi, Mœſi, Thraces, Pontoque contermini Scythæ. Flumina clara, e Dardanis Margis, Pingus, Timachus: ex Rhodope Oeſcus: ex Hæmo, Utus, Eſcamus, Ieterus.

Illyrici latitudo, qua maxima eſt, CCCXXV M paſſuum colligit. Longitudo a flumine Arſia ad flumen Drinium DXXX[a] M. A Drinio ad promontorium Acroceraunium, CLXXV[b]. M. Agrippa prodidit univerſum hunc ſinum Italiæ & Illyrici ambitu $\overline{\text{XVII}}$[c]. In eo duo maria, (quo diſtinximus fine:) Ionium, in prima parte, interius Adriaticum, quod Superum vocant.

XXX. Inſulæ in Auſonio mari præter jam dictas, memoratu dignæ, nullæ: in Ionio paucæ: Calabro litore ante Brundiſium[d], quarum objectu portus efficitur: contra Apulum litus Diomedea, con-

a) DCCC. V. not. ad h. l. b) CLXXII. c) $\overline{\text{XIIII}}$.
d) *Brunduſium*.

spicua monumento Diomedis: & altera eodem nomine, a quibusdam Teutria appellata.

Illyrici ora mille amplius insulis frequentatur, natura vadoso mari, æstuariisque tenui alveo intercursantibus. Claræ: ante ostia Timavi, calidorum fontium cum æstu maris crescentium: juxta Istrorum agrum, Cissa, Pullaria, & Absyrtides Graiis dictæ, a fratre Medeæ ibi interfecto Absyrto. Juxta eas Electridas vocavere, in quibus proveniret succinum, quod illi electrum appellant, vanitatis Græcæ certissimum documentum: adeo ut quas earum designent, haud umquam constiterit. Contra Jader est Lissa; & quæ adpellatæ. Contra Liburnos[a] Grateæ aliquot; nec pauciores Liburnicæ: Celadussæ contra Surium[b]: Bubua, & capris laudata Brattia: Issa civium Romanorum, & cum oppido Pharia. Ab his Corcyra, Melæna cognominata, cum Gnidiorum oppido, distat, XXV M passuum, inter quam & Illyricum Melita, unde catulos Melitæos appellari Callimachus auctor est: XV millia passuum ab ea IV[c] Elaphites. In Ionio autem mari ab Orico XII[d] millia pass., Sasonis piratica statione nota.

*FINIS TOMI PRIMI.*

a) *Liburnas.* b) *Tragurium Bavo: & capris &c.*
c) *tres.* d) III.

# IN
# C. PLINII SECUNDI
# NATURALEM HISTORIAM
## *NOTÆ*
# GABRIELIS BROTERII.

## IN EPISTOLAM NUNCUPATORIAM.

Pag. 1 *T. VESPASIANO*. Ms. Vatic. 1951. & Cl. Rezzonicus. Tito Vespasiano, Vespasiani imperatoris filio, opus suum dicavit Plinius. In altera sua editione eruditus Harduinus hanc epistolam *νοθείας* arguit, quod singulares suas de antiquis scriptoribus nummisque opiniones convelleret.

Ib. lin. 9 *Conterraneum*. Optime Mss. Reg. editio princeps aliæque. Cl. Rezzonicus, ne Plinium esse Veronensem agnosceret, emendavit *concerraneum*. Quæ vox ne Latina quidem est.

2, 1 *Sætabis*. Permutatis prioribus linteis Sætabis, quæ Catullo miserant muneri Fabullus & Veraniolus: unde iis, ob amicorum memoriam, pretium. Catull. carm. 12. Lintea autem dicta Sætaba a Sætabi, in Hispania. Vide infra Libr. III. sect. 4.

2, 10 *Præfectus prætorii ejus*. Bene Mss. Reg. 2. 5. & editio princeps.

6, 8 *Adjectis rebus plurimis*. Operarum forte errore in utraque eruditi Harduini editione, *abjectis*.

Ib. 13 *His cessatum horis*. „ Pro *his* legendum *suis* prorsus „ videtur Joanni Clerico in Arte Critica P. III. S. I. C. „ III. n. 4. “ Editor Venetus.

Ib. 20 *Nec fiducia operis hæc est, sed indicatura*. Eleganter dictum. Sic *indicatura* usurpatur infra a Plinio Libr.

XXXVII, sect. 7. Non ita bene Ms. Reg. 5, & Cl. Rezzonicus, *hæc fiducia operis est*, *hæc indicatura*.

Ib. 25 *Peracta sancitur*. Eruditus Harduinus frustra emendavit, *sarcitur*; id est, ut ipse explicat, accuratius elimatur, castigatur. Nihil ex conjectura, nisi si necessaria est mutandum. Recte dictum, *sancitur*; id est, sancte adservatur & confirmatur. Ut legum, sic librorum est quædam sanctio. Mora & tempore fit. „ Doctissimus tamen Clericus, „ loco supra laudato, num. 5. malebat *sarritur*, voce pe- „ tita e re rustica, & quæ significat sarculo noxias aut „ inutiles herbas revellere; ita ut velit Plinius se perfecisse „ quidem historiam, sed eam veluti *sarriendam*, hoc est, „ inutilibus, aut falsis circumstantiis liberandam." Ed. Ven.

7, 19 *Sors fiat ex usura*. Solvendo quod antiquis scriptoribus usuræ ac fenoris nomine debetur, sors ipsa acquiritur. Ex ipsa enim antiquorum, a quibus mutuati sumus, laude, nostra exsurgit gloria.

Ib. 22 *Lactis gallinacei*. Lac gallinaceum proverbium est, quo res rarissima declaratur.

Ib. 24 *Jam* Ἴα, Μοῦσαι. Ita emendandum esse recte conjecit eruditus Harduinus. Ἴα violæ; Μοῦσαι, *Musæ*; Πανδέκται, *universorum complexiones*; Ἐγχειρίδιον, *manuale*; Λειμὼν, *pratum*; Πινακίδιον, *elenchus*.

8, 1 *Vadimonium deseri*. Tantam enim bonorum copiam mirificæ illæ inscriptiones promittunt, ut vadimonium, in quo de fortunis disceptatur, deseri possit.

Ib. 3 *Facetissimi lucubrationem*. Facetia autem est, quod Furius Bibaculus, grammaticus, qui nomine & re erat bibaculus, opus suum Lucubrationem inscripsisset, cum & potando & scribendo noctes impenderet.

9, 1 *Suis locis reddam*. Infra Libr. XXXV. sect. 10. & 39.

Ib. 18 *De militari disciplina commentanti*. Ita editio princeps, aliæque. In Mss. Reg. 1, 5, 6. Ambrosian. 1, & Londin. *comminanti*; ut placebat Turnebo. In Ms. Reg. 2 *commenanti*.

10, 12 *Singulis contineretur libris*. Bene Mss. Reg. 1, 5, 6 Ambrosian. editio princeps, & Cl. Rezzonicus. Inde autem patet Elenchum, sive Indicem librorum XXXVI ab ipso Plinio fuisse confectum, & epistolæ nuncupatoriæ subjunctum. Inde postea in operis decursu passim a Plinio numerantur XXXVII Naturalis Historiæ libri. Sectiones autem ab ipso quoque Plinio in Elencho, seu Indice, fuisse notatas, indicat probatque Ms. Reg. 1.

Ib. 13 *Ne legendos*. Ita Mss. Reg. Ambrosian. Escorial. Londin. Editio princeps & Cl. Rezzonicus.

Ib. 18 Ἐποπτίδων. Bene Ms. Reg. 6. In Mss. Reg. 2. & 5. *epotidon*. Ἐποπτίδες, sunt arcana, arcanæve cærimoniæ, spectacula.

## IN LIBRUM PRIMUM.

Librum hunc primum esse verum ac genuinum Plinii fetum est certissimum, patetque tum ex Plinio in nuncupatoria ad Titum epistola, tum ex ceteris Plinii libris, ubi hanc esse totius operis partem, eamque primam, passim commemorat. Præter illum Elenchum, Indicemve, in totius operis capite positum, ante singulos libros ob majorem legentium commoditatem, pars Elenchi, Indicisve, ad eos spectans, erat repetita, maxime in iis libris, quorum materia erat utilior & curiosior. Id videre est in Ms. Reg. 1. Quam plurima quidem loca ex Mss. & editione principe emendavi: quæ singula recensere foret longissimum, nec utilissimum; cum multa in operis decursu adhuc occurrant.

## IN LIBRUM SECUNDUM.

Pag. 175, lin. 1 sqq. *Mundum — numen esse*. Deum, optimum, maximum, rerum omnium conditorem potentissimum, rectorem providentissimum, non novit Plinius. Delirantium hominum fabulas secutus, mundum, portentosum numen, obtrudit, cui quæ Dei unius sunt adfingit. Hæc errorum monstra profligavit melior altiorque philosophia, &, quæ certissimum validissimumque est philosophiæ adjumentum atque tutamentum, religio. Vere autem egregieque dixit Cl. Baconus, *de Augmentis scientiarum*, Libr. I. *Certissimum est, atque experientia comprobatum, leves gustus in philosophia movere fortasse ad atheismum, sed pleniores haustus ad religionem ducere*.

Ib. 1 *Hoc quodcumque*. Mss. Reg. 1. 2. & 6.

177, 11 *Effigies animalium*. Quas hic adprobat Plinius effi-

gies animalium rerumque cunctarum cælo impressas, & inde decidua rerum omnium semina, quæ in mari præcipue monstrificas gignant effigies, id vel memoratu adeo absurdum est, ut refutatione minime indigeat. Inde autem patet quam pudendos in errores delapsi sint, qui Deum, naturæ parentem, moderatorem & conservatorem non novere. Iis antiquorum ineptiis commemorandis non ultra immorabor.

179, 14 *Si modo est alius*. „ *S. m. e. a. mundo*, i. e. alius „ quam mundus, legi ait in V. Ms. Marquardus Gudius „ in Phæd. Lib. III. Prol. “ Ed. Ven.

180, 10 *Per fœtidos cibos*. Per allium cepasque, ut in Ægypto. Vide infra Plinium Lib. XIX. sect. 32.

184, 8 *Suo demonstrabimus loco*. Infra Libr. XVII & XVIII.

Ib. 10 *Aptius dicetur*. Infra Libr. VI, 34.

Ib. 21 *Tricesimo anno*. Ms. Reg. 1.

Ib. 24 *Id est, lævum*. Plinius, ut & mos est astronomis, lævas dextrasque mundi partes indicat, facie ad meridiem versa: inde lævus, vel sinister, est Oriens; dexter autem, Occidens.

185, 26 *Olympiade circiter* LXII.... *Romæ* CCXXII. Ita fuit emendandum, ut temporum ratio cum Pythagoræ vita consentiret. Perperam eruditus Harduinus, in altera sua editione, secutus numeros secunda manu in Ms. Reg. 2. additos, emendavit, *Olympiade circiter* XXXII.... *Romæ* CXIII.

186, 9 *Trecenis*. Bene Mss. Reg. 1 & 2. Errant autem Plinius & Timæus. Venus Signiferi ambitum non peragit 348 diebus, sed ut recentioris astronomiæ observationibus compertum, diebus 224 horis 16 41.′ 32.″ 4.‴ Notandis veteris astronomiæ singulis erroribus infinitus foret labor; & obstant suscepti nostri operis angustiæ.

Ib. 14 *Novem diebus*. Vitiosior adhuc est numerus ille Plinianus, cum Mercurius cursum suum peragat diebus 87, horis 23. 15.′ 37.″

Ib. 17 *Viginti tribus partibus*. In Mss. Reg. 1. 2. 4. 5. & editione principe, *viginti duabus partibus*.

188, 13 *Humore terreno pasci*. Hæc, & quæ sequuntur de maculis, fabulæ sunt, quæ vel a pueris, in tanta hoc ævo astronomiæ luce, ridentur.

190, ult. *Sulpicius Gallus*. Illa eclipsis contigit anno Urbis conditæ DLXXXVI. ante Christum 168. Luna defecit die 21. Junii, hora circiter 8. a meridie.

191, 7 *Olympiadis* XLVIII. *anno quarto*. Annus quartus Olympiadis XLVIII. fuit Urbis conditæ annus CLXIX. ante Chri-

stum 585. Hoc anno die 28. Maii fuit illa eclipsis Solis, quam totam dicimus, flagranteque Lydorum ac Medorum pugna, dies repente in noctem mutatus est, teste Herodoto Libr. I, num. 74. Hanc eclipsim astronomicis rationibus recte definiere Cll. Riccioli, le Comte, & Newton. Cur autem Plinius scripserit defectum illum Solis factum esse Urbis conditæ anno CLXX, haud dixerim. Forte usus est rotundo numero; forte etiam Tarrutiana computandi ratione, quæ anno uno Varronianos Urbis Romæ annos antecedit.

Ib. 8 *Urbis conditæ anno* CLXX. Male eruditus Harduinus in altera sua editione, *anno* CLX.

192, 9 *Ducentis viginti tribus mensibus*. Bene Ms. Chiffl. editio princeps, & eruditus Harduinus in altera sua editione. Illa periodus ducentorum viginti trium mensium, ut recurrant eædem eclipses Lunares, non est accuratissima. Nam post annos 200 non redeunt eclipses juxta ordinem periodi annorum 18, seu mensium Lunarium 223. Inde eclipsis Lunæ a Tychone observata die 31. Januarii, anno 1580, non rediit die 10 Junii, hoc anno 1778. Vide Cl. Halley, *Transact. Philosoph.* No. 194, an. 1691; & Cl. Gentil, *Mémoires de l'Académie Royale des Sciences*, an. 1756, pag. 58.

Ib. 24 *Nunc ab occasus parte*. Luna ab Orientali sui parte plerumque obscurari incipit, sed raro ab Occidentali parte, quod tamen aliquando evenit.

193, 1 *Utroque super terram conspicuo sidere*. Id contingit in horizontalibus eclipsibus, refractionum vi. Quod autem tempore Plinii semel fuerat observatum, illud quoque recentioribus observationibus 17 Julii 1590, 30 Novembris 1648, 16 Junii 1660 comprobatum.

Ib. 3 & 4 *Patre III, filio iterum Consulibus*. Ita Ms. Reg. 2, editio princeps aliæque quam plurimæ. Is annus incidit in annum Urbis conditæ DCCCXXIV, Jesu Christi 71, quo Imperatores Vespasianus Titusque filius de Judæa triumphavere. Tunc designatus fuit Consul secundum Titus, & ob triumphum forte consulatum accepit, quem gessit cum patre IV anno sequenti. At eo anno utrumque sidus non quæsitum quindecim diebus. Cl. Petit, quem secutus est eruditus Harduinus, emendavit, *patre IV, filio iterum Consulibus*. Eo quidem anno Cl. Riccioli ex Tabulis astronomicis notat eclipsim solis die 8 Februarii, & eclipsim Lunæ die 22 ejusdem mensis. Verum Cl. Pingré in accuratissimis suis Tabulis, *l'Art de vérifier les dates*, pag. 52 nullam habet eclipsim Solarem mense Februario. Forte me-

lius Mss. Reg. 1, 5, 6 annum non determinant, & habent tantum, *Imperatoribus Veſpaſianis patre & filio*, vel *ac filio ejus*. Id enim revera contigit ſub Imperatoribus Veſpaſianis, patre & filio, anno Urbis conditæ DCCCXXVI, Jeſu Chriſti 73, quo Sol defecit die 23 Julii, Luna die 6 Auguſti.

Ib. 7 *Dodrantes ſemuncias horarum*. Dodrans, ſunt tres partes horæ; ſemuncia vero, quarta eſt vicesima pars. Sunt ergo quadraginta ſeptem minuta cum ſemiſſe: $47.' \frac{1}{2}$.

Ib. 9 *Intra quatuordecim autem partes*. Luna occulta eſt toto illo tempore, quo non diſtat a Sole quatuordecim gradibus.

Ib. 11 *Errantium ſtellarum*. Planetas intelligit.

Ib. 14 *Affixas cælo*. Stellas ipſas, quas cælo affixas credidere antiqui.

Ib. 18 *Errantium autem tres*. Mars, Jupiter, Saturnus. Vide ſupra ſect. 6.

194, 11 *Inferiores autem duæ*. Venus & Mercurius.

195, 12 *Centrum cæli eſt*. Jam Pythagoras, poſteaque Copernicus Solem, minime vero Terram, centrum cæli eſſe dixit. Quod recentioris aſtronomiæ laudibus & obſervationibus receptum.

196, 16 *Nec aliud habitatur*. Nunc multo plus habitatur extra latitudinem Signiferi, quam intra. Si Auſtrales terræ unquam pateant, & tranſnavigetur Borealis Oceanus, quod aliquando certe continget, tunc innoteſcet quam habitabilis ſit terra.

199, ult. *Degredi*. Ms. Reg. 1.

203, 13 *A terra ad Lunam*. Recentes aſtronomi, Pythagora ſagaciores, ex parallaxi Lunæ compererunt mediam Lunæ a terra diſtantiam eſſe leucarum 85, 464, quales ſunt leucæ 25, in gradu terreſtri, & ſingulæ hexapedarum Pariſienſium 2, 283. Parallaxi quoque Solis compertum eſt Solem a terra diſtare leucis circiter 32,830,478. Neque in triplicatum, ſed ferme in immenſum eſt diſtantia ad duodecim ſigna. Diſtantia autem ſtellarum ſnperat leucas 6,771,-770,000,000.

Ib. 24 *Seſcuplum*. Ms. Reg. 1.

Ib. *Septem tonos*. Errat Plinius. Sex toni, non vero ſeptem toni efficiunt diapaſon harmoniam. Sunt quidem ſeptem intervalla, quæ nunc dicimus *ut*, *re*, *mi*, *fa*, *ſol*, *re*, *mi*, *fa*; ſed tantum ſex toni, nempe quinque toni integri, & duo hemitonia. Merito Cenſorinus, de Die natali,

Cap. 13. dixit *tonos eſſe ſex, in quibus* διὰ πασῶν *ſymphonia*.

204, 5 *Hoc eſt pedes*. Pes Romanus erat unciarum duodecim, quæ efficiunt menſura noſtra Pariſienſi pollices 10, lineas 10, cum lineæ partibus 09. Stadium æquabat eadem noſtra menſura hexapedas 94. $\frac{3}{4}$.

Ib. 6 *Poſidonius non minus quadraginta*. Inſignes ſunt illæ Poſidonii menſuræ, quæ non multum recedunt a veritate obſervationibus nobis comperta. Nubes enim in ſumma altitudine a terra aſcendunt circiter 30,000. pedes. Nec alia ferme eſt menſura Poſidonii in XL. ſtadiis. A turbido ad Lunam numerat vicies centum millia ſtadiorum, quæ efficiunt leucas noſtras 82,952. Nunc novimus, ut jam dixi ſupra, mediam diſtantiam Lunæ a terra eſſe leucarum 8, 464. A Luna ad Solem computat Poſidonius quinquies millies ſtadiorum, quæ efficiunt leucas noſtras 20,821,000. Nunc vero nobis Solis diſtantia eſt, ut quoque dixi, leucarum 32,830,478. De his vide Cl. de la Lande, *Aſtronomie*, num. 1718, & 1746.

Ib. 13 *Nongentis ſtadiis*. Id temere proditum eſt. Conſtat enim ex variis obſervationibus altiores nubes vix aſcendere ultra pedes 30,000. Cum viciniores ſunt terræ, denſamque in pluviam ſolvuntur, altæ ſunt pedes circiter 2,500. & quandoque etiam paulo minus.

205, 3 *Lunæ vero duodecimam*. Æſtimatio, quam hic conjectat Plinius, ut Luna ſit in medio Solis ac terræ, futilis eſt, nec ullo nixa fundamento.

206 5. *Quinto conſulatu ſuo*. Anno Urbis conditæ DCCCXXIX. J. C. 77.

Ib. 21 *Olympiade centeſima nona*, *Urbis anno trecenteſimo nonageſimo octavo*. Ita Ms. Reg. 1. & Harduinus in altera ſua editione. In editione principe, ut & in pleriſque Mss. *Olympiade* CVIII. *Urbis* CCCXCVIII. At ſibi non conſtant numeri. Olympias centeſima nona incidit in annum Urbis conditæ CCCCX. Olympias centeſima octava in annum Urbis CCCCVI.

Ib. ult. *Centum octoginta*. *Centum* abeſt a Mss. & antiquis editionibus. Non male tamen in recentioribus additum. Viſos enim eſſe cometas centum octoginta diebus, ſeu ſenis menſibus, conſtat tum ex Seneca, Natural. quæſt. VII, 21. tum ex noſtræ ætatis obſervatione, qua a die 31 Julii, anno 1729 ad diem 21 Januarii 1730 viſus eſt cometes.

207, 5 *Nemini compertum alteri*. Id noſtra, ut Ariſtotelis,

ætate compertum. Tres visi sunt cometæ mense Majo anni 1748, duo mense Februario anni 1760.

Ib. 16 *Octavio Consule*. Anno U. C. DCLXXVIII, ante Christum 76.

Ib. 17 *Pompeii & Cæsaris bello*. Anno U. C. DCCV, ante Christum 49. Insignem illum cometem notant Annales Sinenses. Apparuit, ut in iis scriptum est, tertia luna: visusque est in via lactea, pectoreque Cassiopeæ.

Ib. 18 *Circa veneficium*. Anno U. C. DCCCVII, J. C. 54.

Ib. 20 *Assiduum prope ac sævum*. Plures cometæ visi sunt sub Merone principe, & sanguine semper expiati; ut videre est apud Tacitum, Annal. XV, 47. Vide & Annal. XIV, 22.

208, 6 *Post obitum patris Cæsaris*. Anno U. C. DCCX, ante Christum 44. Cometes ille, cujus cursus est annorum 575, rediit annis 530, 1106, & 1680, ut prodidit Cl. Halleius.

Ib. 19 *Sidera perpetua esse credant*. Quod olim conjectura assecuti erant antiqui, id anno 1705 demonstravit Cl. Halleius, astronomicisque calculis probavit eumdem esse cometem, qui visus est annis 1456, 1531, 1607, 1682, eumque reversurum anno 1759. Vaticinio fidem fecit eventus; compertumque est hujus cometæ periodum esse annorum 75, aut 76. Sic spes est rediturum esse anno 1789 cometem, qui visus est annis 1532, & 1661.

Ib. 26, *Novam stellam*. Insignissima fuit inter stellas, quæ recens apparuere, deinde videri desiere, stella anno 1572, mense Novembri in Cassiopea visa; videri desiit mense Martio anni 1574.

209, ult. *Anno tertio*. Anno Urbis conditæ CCCCIV, ante Christum 350.

210, 18 *C. Porcio*. C. Porcius & Manius Acilius Consules fuere anno U. C. DCXI; Opimius & Fabius, anno DCXXXIII; Julius & Rutilius anno DCLXIV.

Ib. 20 *Longiores Solis defectus*. Longiores illi Solis defectus, non ex eclipsi, sed ex maculis solaribus, quæ Solem obumbrant, orti sunt. Maculas illas felici astronomiæ fato primus detexit mense Martio anni 1611 P. Cristophorus Scheinerus, e Societate Jesu. His maculis sæpe obscuratus est Sol, vel pars magna Solis, præcipue anno 535, quo Sol per quatuordecim menses magnam lucis diminutionem passus est. Anno 626 discus Solis media sui parte latuit a mense Octobri ad mensem Junium. Hoc etiam sæculo annis 1718, 1719, & 1727, plures fuere maculæ Solares, pæne continuæ, ma-

jores etiam terra, & tamen, quod est observatione dignum, anni illi inter calidissimos adnumerantur. Vide *Mémoires de l'Académie Royale des Sciences*, an. 1727, pag. 401.

211, 7 *Plures simul quam tres*. Cl. Gassendus quinque Soles, seu parhelios, in Polonia vidit anno 1625. P. Scheinerus septem Soles Romæ vidit anno 1630, die 24. Januarii.

Ib. 18 *Scintillam e stella*. Quæ hic memorat Plinius, ut scintillas e stella cadentes, referenda sunt ad exhalationes sulphureas, aliasque, quæ inflammantur, & sæpe cum magna luce magnoque crepitu pereunt. Quod singulos ferme per annos aliquibus in locis observatur. Tales vidi & audivi, etiam diu, sudo tempore.

212, 3 *Exsistunt stellæ & in mari*. Bene Ms. Reg. 2. Male Ms. Reg. 5. editio princeps & Cl. Rezzonicus, *ex his tunc procellæ & in mari*. In terræ locis sulphureis, maris oleagineis, sæpe videntur illæ stellæ, aut potius lumina.

Ib. 4 sqq. *Inhærere pilis. — & antennis navigantium*. Quis hic non agnoscat vim electricam, toto orbe diffusam, & efficacissimam; quam felicibus tentamentis anno 1729 promovit Cl. Grey. Nunc singulos in annos novis curiosissimisque experimentis inclarescit.

213, 20 *Lapidibus pluere*. Et sæpe postea nostrisque temporibus auditum est lapidibus, carnibus, frumento, lana aliisque pluisse; cum nempe recidant, quæ vento fuerant rapta. Vide & infra sect. 57.

214, 24 *Orygem*. De oryge vide infra Libr. XI, sect. 106. Vide & Libr. X, sect. 94.

215, 25 *Duo atque septuaginta signa*. Ita libri omnes scripti & editi. Antiqui tamen numerabant tantum 48 signa: nec plura appellantur in Ptolemæi catalogo. At cum Firmicus alia multa signa nominet, videntur fuisse quidam stellarum catalogi in plura, quam 48, signa divisi. Idque tanto credibilius, quod antiqui numerarent tantum 1022 stellas; contra vero Plinius adnotet stellas 1600, *insignes effectu visuque*. Ipseque Plinius infra sect. 71 memorat *Cæsaris thronon*.

220, 6 *Et exortum solstitialem*, *Aquilo*. P. Sanadonus, *Journal de Trévoux*, *Juin* 1715, pag. 1081 mallet, *& exortum æquinoctialem*. Apposite quidem ad ordinem ventorum a Plinio institutum.

221, 16 *Uno & LXX. die*. Ita libri omnes scripti & editi ante Harduinum, qui emendavit *uno & LX. die*. Nempe vir eruditus non attendit adnumerandos esse dies novem, quibus Favonius ab adventu hirundinum flat.

Ib. 19 *In totidem partibus Tauri*. Id est, Sole obtinente partem XXV Tauri.

223, 19 *Prolatis pedibus*. Pes, nautica vox, funem significat, quo velum minus adducitur, aut longius producitur.

226, 23 *In Catilinanis prodigiis*. In prodigiis, quæ evenere, cum grassaretur Catilinæ conjuratio anno U. C. DCXCI. ante Christum 63.

227, 4 *Erumpere terra*. Fulmina quoque terra erumpere recentibus experimentis compertum est; idque sæpe observavit Cl. Chappe.

Ib. 23 *In deductione oppidorum*. Cum ducuntur coloniæ.

228, 22 *Lux sonitu velocior* Lux a Sole, in media sua distantia, ad nos pervenit intra temporis octo minuta prima, & septem secunda, 8.′ 7.″ Sonus vero adeo lentus, ut intra unius minuti secundi, 1.″ spatium percurrat tantum hexapedas Parisienses 175. Quanto ergo lux sonitu velocior!

230, 10 *Lauri fruticem*. Nunc vero experientia compertum lauros fuisse ictas fulmine. Certum tamen est lauros resiniferasque arbores rarius, quam ceteras, fulmine feriri.

Ib. 21 *Lacte & sanguine pluisse*. Jam dixi supra Cap. 38 quomodo pluerit lapidibus. Nec mirum lacte, sanguine, ferro, lana, lateribus coctis pluisse. Ferrum, ferreæve scoriæ, lana, carnes, lateres cocti fuerant vento rapti; postea depluere. Aqua quoque creta albescat, cinnabari aliisque materiis rubescat tunc, dictum est pluisse lacte & sanguine. Observatum etiam est rubra papilionum stercora pro sanguineis pluviis fuisse habita. In his omnibus evanuit portentum, ubi natura probe fuit cognita.

231, 7 *Armorum crepitus*. Illi armorum crepitus, spectata illa arma cælestia & inter se concurrentia, ardensque cælum, demonstrant jam pridem visas fuisse auroras Boreales, quæ jam infinitis observationibus & egregio opere Cl. de Mairan omnibus innotuere.

Ib. 17 *Prædixisse cælestium literarum scientia*. Saxum ingenti ventorum vi, aut potius vulcanii montis impetu, in sublime raptum fuisse & decidisse, minime mirum est. Id quoque sæpe, & nostra ætate, contigit. At & saxum de Sole cecidisse, & casurum prædixisse Anaxagoram Clazomenium, fuit Græcæ vanitatis mendacium. De hoc saxo aliisque satis dixit Cl. Freret, *Mêmoires de l' Académie Royale des Inscriptions*, Tom. IV. pag. 421.

232, 12 *Mixtura nubium, aeris, igniumque*. Iridis colores

non ea mixtura fiunt, sed refractione luminis. Quod argumentum elegantissimo carmine P. Nocetius, eruditis adnotationibus Cl. Boscovichius illustravere.

Ib. 14 *Nec noctu*. Lunares irides videntur & noctu; prioreque & hoc nostro sæculo sunt observatæ. Merito ergo eas prodiderat Aristoteles.

Ib. 16 *Ni quartadecima Luna*. Male Mss. veteresque editiones, & eruditus Harduinus in suâ altera, *tricesima Luna*. Recte cum aliis in priore emendaverat, *quartadecima*. Aristoteles, Meteorolog. III, 2. ait id accidere plenilunio, ἐν τῇ πανσελήνῳ.

233, 10 *Gelando liquorem minui*. Id quoque compertum recentioribus experimentis.

236, 22 *Mundus in centrum vergit*. Vere quidem mundus cælumve totaque natura in centrum vergit. At non assidua mundi cælive volubilitate terra in globum aut orbem cogitur, sed vi illa naturali, qua corpora omnia in centrum tendunt.

237, 18 *Permensus montes*. Nunc altissimos montes permensi novimus in Helvetia montem *Gemmi*, altum hexapedas 1,685; in insulis Fortunatis, altum hexapedas, 742; in America montem *Chimborazo*, altum hexapedas 3,380.

237, 23 *Quinquaginta millibus passuum*. Id ita absurdum est, ut numquam crediderim a Plinio ita fuisse scriptum. In Mss. legitur ɪ ᴍ. Crediderim olim fuisse scriptum: ɪɪ ᴍ, id est, duobus millibus passuum. Quod satis concordat cum altitudine montis *Gemmi*; maxime cum antiqui altitudinem potius augerent, quam minuerent.

239, 18 *Qua ratione — maria non crescant*. Non hac tantum ratione, sed multo magis continua vaporum vi, licet tot flumina quotidie accedant, maria non crescunt, nec possunt crescere.

240, 3 *Ad Cimbrorum promontorium*. Cimbrorum promontorium in gradu latitudinis 57, 32.' Nos vero ultra novam Zemblam & *Spitsberg*, atque etiam ultra 83 gradum latitudinis navigavimus.

240, 16 *Paludis Mæoticæ*. Palus Mæotica non est sinus Septemtrionalis Oceani, a quo immensum abest, sed per Bosporum Cimmerium ponto Euxino jungitur.

241, 2 *Eudoxum quemdam*. Locus hic observatu dignissimus est. Eudoxus cum Ptolemæum VIII, cognomento Lathurum, Ægypti regem fugeret, Arabico sinu egressus, Gades usque pervectus est. Ergo post annum Urbis conditæ ᴅᴄxxxᴠɪɪ,

ante Christum 117, quo regnare cœpit Ptolemæus Lathurus, circumnavigata est Africa. Antea quoque a Phœnicibus fuerat circumnavigata, ut patet ex Herodoto IV, 42.

Ib. 8 *Quinto Metello Celeri*. Consul fuit anno Urbis conditæ DCXCIV, ante Christum 60. De hac navigatione aliisque id genus dixi in Notis ad Tacitum, Vit. Agric. Cap. 28.

244, 15 *Quartam fere partem signi unius*. Canopus gradibus septem cum semisse elevatus est supra horizontem Alexandriæ. Immo, ob refractionum vim, Gadibus conspicitur; teste Suarez de Salazar, Antiquit. Gadit. I, 6.

245, 12 *Apud Arabiam*. Ita Mss. editiones quoque veteres, & eruditus Harduinus in altera sua editione. In priore, medias editiones secutus, emendaverat *Arbela*. At Plinius scripsit *Arabiam*, quod Arbelitis, ubi Arbela, contribueretur Arabiæ. Eclipsis illa Lunæ contigit die 20. Septembris, anno U. C. DLXXIII, ante Christum 331.

Ib. 14 *Vipstano & Fonteio Coss*. Anno U. C. DCCCXII, Jesu Christi 59.

246, 7 *Cursor Philonides*. De eo vide adhuc infra Libr. VII, sect. 20. Egregius sane fuit ille cursor, qui quinquaginta nostras leucas horis novem conficeret.

Ib. 15 *Vasaque horospica*. Ita Mss. Reg. 1. 2. 5. & editio princeps. Frustra in recentioribus editionibus emendatum, *horoscopa*. „ Mireris tamen, quomodo Cl. Broterius reliquo-„ rum Codd. lectiones, vocisque hujus græcam præsertim „ derivationem, nil moretur. “ Ed. Ven.

Ib. 22 *In oppido Ancona*. Ita Mss. Reg. 1. 2. 5. & editio princeps. Mox: *Superest quinta tricesima*. Sic & totidem literis Mss. Reg. 1. & 2. Nec aliter Mss. Reg. 5. aliique a Cl. Rezzonico laudati, & editio princeps. Male emendavit eruditus Harduinus, *superest quinta*. *In decima parte Italiæ*. Si gnomon triginta quinque pedes habuerit, umbra æquinoctii die habebit Anconæ pedes 36; & amplissima dies erit æquinoctialium horarum quindecim, & quintarum partium horæ trium. Vide infra Libr. VI. sect. 39.

247, 6 *Flumen Hypasin*. Flumen Hypasis in Indum influit. Hypasis fuit *Alexandri itinerum terminus*, ut dicetur infra Libr. VI. sect. 21. At solstitii die medio non potest fieri, ut supra flumen Hypasin nulla jaciatur umbra, cum Alexandri aræ Hypasi flumini adpositæ sint per 30 latitudinis gradum; ipsumque Austrinum Hypasis ostium sit ultra 28 gradum latitudinis.

Ib. 22 *Patalis celeberrimo portu*. Ibi sunt divortia Indi fluminis.

248, 1 *Appellari aſcia*. Aſcia, id eſt, ſine umbra.

Ib. 14 *In inſula Thule*. Si illa eſt, quam hodie intelligimus, ibi dies non ſunt continui menſibus ſenis, ſicut nec in inſula Mona.

Ib. 21 *Et Thaletis diſcipulus*. Ita Ms. Reg. 5. editio princeps & Cl. Rezzonicus. Id quoque additum in margine Ms. Reg. 2. Gelenius, deinde alii omiſere. At potuit Anaximenes eſſe primum Thaletis, deinde Anaximandri diſcipulus. De Anaximandro dictum ſupra ſect. 6.

Ib. 22 *Horologium — ſciothericon*. Antiquius fuit tale horologium in urbe Jeruſalem ſub Achaz rege. Vide IV. Reg. XX, 11.

250, 6 *Illorum trium*. Saturni, Jovis, & Martis; ut dictum eſt ſupra ſect. 18 & 53.

251, 25 *Galliæ & Ægyptus minime quatiuntur*. Rari ac ferme innocui in Galliis & Ægypto terræ motus. Nullos ætate ſua audivit Plinius: nos ſenſimus & audivimus aliquos, ſed, ut dixi, innocuos. Fuere tamen antiquiſſimis temporibus, ut æſtimare eſt ex vulcaniis montibus, qui in Arvenia aliiſque provinciis olim & ante literarum memoriam exarſere.

253, 14 *Factum eſt hoc ſemel*. Bene Ms. Reg. 5. editio princeps, & Cl. Rezzonicus.

Ib. 16 *Sexto Julio Coſſ.* Anno urbis conditæ DCLXIII. ante Chriſtum 91. Anteceſſere quoque alia prodigia, quæ videre eſt apud D. Auguſtinum de Civitate Dei III, 23 & Oroſium, V, 18. Cuncta animalia, humanis uſibus ſubdita, canes, equi, aſini, boves, &c. ſubito efferata, libera vagabantur, neque dominorum patiebantur acceſſum. Inde conjicere eſt, quam tetro odore afflati fuerint vapores.

Ib. 19 *Flamma fumoque in cœlum exeunte interdiu*. Nec mirum; cum totus hic Apennini tractus ſalinariis ſulphureiſque materiis abundet.

254, 10 *Tiberii Cæſaris principatu*. Anno Urbis conditæ DCCLXX. J.C. 17. De quo terræ motu dixi ad Tacitum, Annal. II, 47.

Ib. 14 *Ad Traſymenum lacum dimicantes*. Anno U. C. DXXXVII. ante Chriſtum 217.

Ib. 16 *Homero credimus*. Homer. Odyſſ. IV, 354. Commentum quidem eſt tantum limi a Nilo fuiſſe aggeſtum. At aggeſtam fuiſſe magnam limi vim, quotidieque aggeri, certiſſimum eſt.

Ib. ult. *Eidem de Circeiis*. Homer. Odyſſ. X, 194. Circeio-

rum memoria manet in monte *Circello*, prope Terracinam.

255, 4 *Herodoto quidem si credimus*. Herodot. II. num. 10.

Ib. 7 *Tota Teuthrania*. De ea vide infra Libr. V, sect. 33,

Ib. 16 *Nea*. De qua infra Plinius Libr. IV, sect. 23.

Ib. 18 *Thera & Therasia*. De his insulis vide egregium opus cui titulus, *Voyage pittoresque de la Grece*, Cap. 2, pag. 24. At cum Herodotus Libr. IV, num. 147 Theram insulam memoret, manifestum est eam exstitisse multo ante annum quartum Olympiadis CXXXV, seu annum Urbis conditæ DXVII. At Plinius cum Herodoto conciliari facile potest, si quis attenderit duas esse in insula Thera partes, alteram antiquissimam, &, ut videtur, mundo æqualem, quæ nulla præ se fert incendii signa; alteram, quæ ex incendio erupit, & in qua manifesta sunt ignis indicia; ut ipse vidit oculatus testis P. Franciscus Richard, *Relation de ce qui s'est passé de plus remarquable à Santerini*, pag. 22.

Ib. 19 *Post annos* CXXX. Annus ille incidit in annum Urbis conditæ DCXLVIII, ante Christum 107. Verum constat ex Justino XXX, 4, & Plutarcho, de Pythiæ oraculis, pag. 399, enatam esse illam insulam bello Macedonico, cum ad Cynoscephalas pugnatum est adversus Philippum, quod contigit anno Urbis conditæ DLVII, ante Christum 197. Crediderim Plinium scripsisse, post annos XL. Librarii vero scripsere *post annos* CXXX.

Ib. 20 *Post annos* CX — *Thia*. Si illa insula nata est sub Consulibus M. Junio Silano & L. Balbo, ac proinde anno Urbis conditæ DCCLXXII, Jesu Christi 19, inter natas Hieram & Thiam insulas, non CX, sed CCXV, anni intercessere. Immo intercesserunt CCXXXII anni, si, quod verisimillimum est, Thia insula eadem est, quæ a Seneca, Natural. quæst. II, 26, & VI, 21 nata proditur, Valerio Asiatico II, & M. Junio Silano Consulibus, anno Urbis conditæ DCCXCIX, Jesu Christi 46. Et forte erroris causa fuit similitudo nominis in M. Junio Silano Consule. Nihil tamen adfirmaverim, cum plurimæ ibi fuerint eruptiones, quales & postea fuere annis 726, 1427, 1573; & hoc quoque nostro sæculo anno 1707, quo inter Hieram & Thiam nova enata est insula. Ms. Reg. 2, & editio princeps habent *ab ea*.

Ib. 23 *Æolias insulas*. De iis vide infra sect. 110.

256, 10 *Prochytam*. Hanc, ut Pythecusas, a Miseno avulsam ait Strabo, Libr. I, pag. 60.

Ib. 14 *Leucosiam Sirenum promontorio*. Leucosia Sirenusæque insulæ, ante insulam Capreas, in sinu Neapolitano.

Ib. 19 *Parthenio promontorio*. In Chersoneso Taurica Parthenium promontorium.

Ib. 25 *Ubi Atlanticum mare est*. In immenso Atlantici maris spatio, quod memoravit Plato, in Timæo, pag. 25, agnoscere est veterem Americæ aut notitiam, aut famam. Sed omnia fabulis ita miscuit, ut & de America & de Judæa, vetereque Judææ statu intelligi debeat.

257, 8 *Galenes*. In Ms. Reg. 2. *Galanes*.

Ib. 16 *Cum plurimis mortalibus*. In Ms. Reg. 5. *cum pluribus mortalibus*.

258, 4 *Candor alicujus*. Lapis est phengites; de quo plura vide infra Libr. XXXVI, sect. 46.

258, 8 *Ut Soracte*. Mons Soractes distat ferme XXVIII millibus passuum ab urbe Roma.

Ib. 13 *Ad Mephitis ædem*. Locus ille adhuc dicitur *Mufiti*. Memoratur a Tacito Hist. III. 33.

259, 6 *In Nympheo — saltares dictæ*. Sic Mss. Reg. 1. 2. 5. Nympharum erant insulæ in Lydia.

Ib. 18 *In Taurorum peninsula*. In Taurica Chersoneso.

263, 17 *Observatum id multum in Gallico Oceano*. Fertur id experientia constare Gadibus. Contrarium vero innotuit in portu nostro Brivatis, teste Cl. Deslandes.

265, 11 *In Fucino lacu invectus amnis*. Quis ille amnis? an Aqua Marcia, de qua Plinius Libr. XXXI, sect. 24. *transit Marsos & Fucinum lacum*? Conjicit Cl. Rezzonicus, *in Eupilio lacu invectus Lamber*. Ingeniosa quidem est conjectura, sed audacior tamen, licet infra Plinius III, 19. amnes memoret, qui lacus permeant, *ut Adduam Larius, Ticinum Verbanus, Mincium Benacus, Ollium Sebinus, Lambrum Eupilis, omnes incolas Padi*.

Ib. 20 *Arethusa fons Syracusanus*. Fons ille, olim nobilissimus, nunc ignobile est lavacrum, cujus aqua marino sapore inficitur. In magno autem portu Syracusano exsilit e mari fons aquæ dulcis, quæ usque ad maris summum mari non miscetur. Hic est Alpheus vana fabula jactatus. Tales fontes aquæ dulcis e mari exsilientes videre est Tarenti in angusto sinu, alterum in sinu Neapolitano; & prope Bajas, haud procul monte Miseno; & in portu Lunensi.

Ib. 26 *In Atinate campo fluvius mersus*. In Lucania est campus Atinas, oppidumque Atinum: ibi mergitur per quatuor circiter passuum millia fluvius Tanager. Unde crediderim Plinium olim scripsisse: *Et in Atinate campo fluvius* IV M *pass. mersus: post* XX M *pass. exit & in Aquile-*

*jensi Timavus*. Et forte librarii utrumque numerum junxere. Nam Posidonius de Timavo prodidit tantum cxxx stadia; ut videre est apud Strabonem Libr. V, pag. 215.

266, 9 *Similiter in Silaro*. Lapidescentem hanc Silari vim prædicant Aristoteles, Strabo, & Silius Italicus. Hodie indigenis est ignota. Vide Cl. Major, *les Ruines de Pæstum*, pag. 22. Pro *& folia*, Mss. Reg. 5. 6. habent *& volatilia*.

Ib. 13 *In Rubro mari oleæ — enascuntur*. Ita Ms. Reg. 5. & libri omnes editi. Hæc vero in aliis Mss. codicibus omissa sunt, & omissa volebat eruditus Harduinus; quod forte sunt translata e Libro XIII, sect. 48, ubi eadem occurrunt.

267, 1 Ἀναπαυόμενον. Id est, interquiescentem.

Ib. 12 *Inopus fons*. Inopus fons est quidam in insula Delo puteus, cujus diameter est XII passuum circiter. Mense Octobri altitudinem aquæ esse pedum 24 reperit Cl. Tournefortius, mensibus Januario & Februario amplius pedum 30. Fabula est fontem illum cum Nilo, aut, ut ajunt indigenæ, cum Jordane crescere aut decrescere. Vide Cl. Tournefortium, *Voyage du Levant*, T. I. pag. 347 Edit. in 8vo.

268, 7 Διὸς Θεοδώσια. Id est, Jovis divinum munus.

269, 1 *Scyrium lapidem*. Lapis est e Scyro insula, de quo & infra Libr. XXXVI, sect. 26. Ad pumices pertinet.

Ib. 8 *Omne oleo tranquillari*. Pauca illa verba *mare oleo tranquillari*, ut & multa alia similia, nuperis experimentis illustrata, miram Plinii diligentiam, ejusque operis utilitatem comprobant. Cl. Francklinus hæc experimenta, a Batavis aliisque gentibus, quæ maria adeunt, feliciter renovata, instituit, recteque monuit plurimum errare, qui antiquos parvi pendant, & antiquitus nota perspectaque negligant.

Ib. 14 *Arenas flammarum globo eructet*. Cl. Recupero, qui diligentissime Ætnam speculatus est, observavit eum igneorum saxorum moles tanta vi sonituque tonitru terribiliore sursum eructare, ut a momento, quo in maximam altitudinem evectæ, ad momentum, quo in terram decidunt, numeraverit in eorum descensu 21 minuta secunda temporis; & cum spatia sint, ut quadrata temporum, evidens est igneas illas moles percucurrisse 7,000 & amplius pedes. In Vesuvio numerantur tantum 9 minuta secunda, quod adhuc 1,200 & paulo amplius pedes demonstrat. Vide Cl. Brydone, *Voyage en Sicile*, Tom. I, pag. 190.

Ib. 19 *Maltham vocant*. Malthæ originem, ut & bituminum, ex obrutis subterraneoque igne incensis silvis merito repetebat Cl. Rouelle.

Ib. ult. *Naphthæ*. Naphtha bitumen est, & ejusdem originis ac maltha.

271, 10 *Sociali bello*. Sociale bellum cœpit anno Urbis conditæ 663, ante Christum 91.

Ib. 11 *Theon ochema*. Θεῶν ὄχημα, id est, currus deorum,

Ib. 13 *Tot incendiis rerum natura terras cremat*. Toto terrarum orbe natura terras cremat, succutit, & renovat fertilesque facit. Optimeque in Phlegræis suis campis observavit Cl. Hamilton incendia illa terræque motus esse magnum naturæ aratrum. Quomodo vero novis semper incendiis natura materiem præparet, docuit terræ motus Canadensis, quo silvæ eversæ, convulsæ terræ, anno 1663, intra spatium trecentarum leucarum ab Oriente in Occidentem, & centum quinquaginta amplius leucarum a Meridie ad Septemtrionem. Vide P. Charlevoix, *Histoire de la Nouvelle-France*, Tom. I. pag. 365. & seqq.

271, 22 *Attrita inter se ligna*. Attritis inter se lignis ignem adhuc excitant barbari. De hoc usu vide infra Libr. XVI, sect. 77.

272, 2 *In Nympheo*. Apud Apolloniatas, ut dictum est Capite superiore.

Ib. 4 *Ad aquas Scantias*. In Campania.

Ib. 7 *Statis Vulcano diebus*. Die 23. Augusti mensis erant Vulcanalia. In Kalendario Herwartiano, X. KAL. SEPTEMBR. VULCANALIA. Ager autem Mutinensis ob aggestas terras latentesque subtus aquas aliaque naturæ mira valde singularis est.

Ib. 9 *Et Sidicino*. In Campania; quæ regio tota ferme vulcania est.

Ib. 11 *Egnatia*. Saxum illud ejusque flammam ridet Horatius I. Satyr. V, 97. Nec ad naturam, sed ad superstitiosos dolos pertinet, ut & cinis immobilis in ara Laciniæ Junonis, quæ Crotone colebatur.

Ib. 18. *Ex capite flammam emicuisse*. Ex capite, ex aliis artubus humanis flamma emicat vi electrica, de qua jam dixi supra Cap. 37.

273, 6 *Isidoro, nonagies octies*. De his mensuris plura forent dicenda, si paterentur voluminis angustiæ. Haud siluerim tamen illam Isidori mensuram observatione dignam esse, cum indicet extrema Sinarum saltem auditu Parthis fuisse cognita. Constat enim Gades, ab urbe Sinarum *Nan-King* distare 124.° 37′. 45″. Quod accurate in mensuram Isidori incidit.

Ib. 20

Ib. 10 *Frons procurrit Hispaniæ*, CCCCXCI. Ita quidem emendavit eruditus Harduinus ex Agathemero I, 4. At Mss. Reg. habent, DCCCXCI. Quod satis concordat cum locorum situ. Nam a Gadibus circuitu Sacri promontorii, ad promontorium Artabrum, sunt stadia multo plura, quam 491; & si spectentur oræ Hispanicæ sinus & anfractus non pauciora sunt, quam 891. Nihil tamen mutavi ob Agathemeri auctoritatem.

Ib. 24 *Quinquagies & semel centena*. Numeros illos & sequentes eruditus Harduinus ex Agathemero, loc. cit. emendavit, quod non sibi constent Mss. Plinii codices; & recte quidem emendavit. Nondum tamen omnia cum ipso locorum situ plane concordant, qualis nobis compertus est astronomicis observationibus, quæ certissimum sunt geographiæ munimentum.

274, 9 *Ad Scingomagum vicum*. Scingomagus vicus inter Brigantionem & Ocellum. Ibi fuit finis Italiæ, & initium Galliæ.

Ib. 10 *Illiberim* DCCCCXXVII. Ita quidem eruditus Harduinus ex conjectura. Nempe cum locus hic mancus sit & mutilus in Agathemero, ipse singulas alias summas collegit, & quod deerat toti summæ, in hanc, quæ Illiberim spectat, contulit. Sed sane perperam. Quantacumque supponantur viarum divortia, fieri numquam potest, ut inter Scingomagum vicum & Illiberim numerentur DCCCCXXVII millia passuum. Multo potior est scriptura Mss. Reg. 1, & 2, in quibus legitur, CCCCCLVI. In Ms. Reg. 5, & editione principe, *quingenta* LVI *millia*. Hæc enim abunde sufficiunt ad utriusque loci distantiam.

Ib. 17 *Hinc vapor*. Hinc vapor torridus, illinc frigidus rigor.

275, 3 *Carambin promontorium*. In ora Paphlagoniæ, Carambis promontorium. Inde autem patet mensuram illam latitudinis terræ non accurate esse sumptam a meridie ad Septemtrionem. Hic enim multum deflectit ad Orientem.

Ib. 11 *Usque ad Thulen*. Thule hæc, ut patet ex Isidori mensura, est ipsa Scandia; quæ tunc habebatur inter insulas, quod Septemtrionalis ejus pars non esset satis cognita. Præterea tot lacubus & fluminibus est interrupta, ut sit insulæ simillima. Sic & nos superiore sæculo, hujusque etiam sæculi initio, Californiam inter insulas adnumeravimus, quæ peninsula est.

276, 7 *Melius hic fuit*. Dionysodorus fuit ex insula Melo, una Cycladum.

Ib. 24 *Terramque nonageſimam ſextam totius mundi partem*. Inventis teleſcopiis, tanta aperta eſt cæli vaſtitas, ut nulla aſſignari poſſit terram inter totumque mundum ratio. Nam cum ſtellæ, quæ terris ſunt proximæ ne unius quidem minuti ſecundi temporis, parallaxim habeant, earum diſtantiam a terra eſſe leucarum amplius 6,771,770,000,000. conſtat. Vide Cl. de la Lande, *Aſtronomie* Tom. III, pag. 169. Inde patet quanta ſit mundi magnitudo, quam exiguum vero punctum ſit terra.

## IN LIBRUM TERTIUM.

278, 1 *Quanta dabitur brevitate*. Et nos illa brevitate premimur. Singula quidem nomina verbaque in his geographiæ libris forent recenſenda; at id non patitur hujus editionis ratio. Pauca & illuſtria adnotabo; multaque omittam, quæ ex Mss. Reg. nummis veteribus & editione principe emendavi.

280, 11 *Coloniæ — municipia — Latio*. De coloniis, municipiis, Latii civiumque Romanorum jure, de populis liberis, fœderatis, ſtipendiariis dixi in Notis ad Tacitum, Annal. XI, 23.

Ib. 16 *Mariani montes*. Male Mss. *Hareni montes*. Eruditus Harduinus in altera ſua editione, *Arenæ montes*. In aliis editionibus, *Ariani*. Sunt Mariani montes, Ptolem. II, 4. Inde forte appellatum æs Marianum, de quo infra Plinius Libr. XXXIV, ſect. 2.

282, 1 *Ilurco*. Bene nummi veteres. (*Illurco*, Ed. Hard.) Manent Ilurconis rudera tribus leucis ab urbe Granata.

Ib. 2 *Baſtetaniæ*. Bene Inſcriptiones veteres; & ita ſcribendum e Ms. Reg. 1. (*Baſtitaniæ*, Hard.)

Ib. 4 *Iliturgi*. Bene Ms. Reg. 1. & edit. pr. (Harduinus habet, *Illiturgi*.)

Ib. 7 *Ripa, Epora*. Bene Ms. Reg. 1, & Cl. Rezzonicus. Male editio princeps aliæque, *Ripepora*. In nummis IIPORA pro *Epora*.

Ib. 8 *Sacili*. Sic & in nummis appellatur. (*Sacili Martialium*, O. Hard.)

Ib. 13 *Italica*. Italica, Trajani, principis optimi, Hadrianique & Theodoſii patria.

283, 2 *Urſo, qua Genua Urbanorum*. Eruditus Antonius Auguſtinus malit, *Gemina Urbanorum*.

Ib. 22 *Acinipo*. Bene nummi veteres. (*Acinippo*, Hard.)

285, 3 *A ſorore ſua inchoatam*. Bene Ms. Reg. 1, & editio princeps. Octavia, ſoror Auguſti.

287, 12 *Calagurritanos, qui Naſſici*. Sic nummi veteres. Calagurris Julia Naſſica. (*Calaguritanos*, Hard.)

Ib. 17 *Oſicerdenſes*. In nummis veteribus OSICERDA. Creditur eſſe *Xerta*, paulo ſupra Dertoſam. (*Oſſigerdenſes*, Hard.)

288, 3 *Satabitani*. Sic nummi veteres. (*Setabitani*, Hard.)

Ib. 13 *Turmogidi* Ms. Reg. 1. (*Turmodigi*, Hard.)

Ib. 14 *Segiſamajulienſes*. Ms. Reg. 1, & Ptolemæus II, 6.

290, 25 *Libica appellantur*. Bene editio princeps. Ora illa Rhodani appellantur Libica, ob Libem, ſeu Africum ventum, cui erant obverſa. (*Libyca*, Hard.)

294, 23 cc *in latitudinem excedens*. Bene Mſs. Reg. 2, 5, & editio princeps. Perperam eruditus Harduinus e Mſs. & Marriano emendavit, ccc. Patet enim cuivis Italiam inſpicienti ab Alſio uſque ad Rhegium eam cc millia paſſuum in latitudinem non excedere.

295, 3 *Minus* ccc. Libri ſcripti & editi habent *minus* cc. Emendandum eſt, *minus* ccc. Nec in diſtantia Italiæ ab Africa, tantum errare potuere aut Varro, aut Plinius. Ipſe Plinius infra ſect. 14 a Lilybæo, ad promontorium Mercurii, in Africa numerat CLXXX M.

Ib. 8 *Inter ſextam horam primamque brumalem*. Inter meridiem, quæ hora ſexta ab antiquis appellabatur, & exortum Solis brumalem, quæ prima iis erat hora. Vide infra Plinium Libr. VI, ſect. 37.

Ib. 18 *Ingaunis Liguribus*. Tricies iis datus eſt ager. De oppidorum civitatumque agris vide tabulam Trajanam, Inſcriptionemve reipublicæ Velejatium, quam explicavi & illuſtravi in altera Taciti editione, Tom. V, pag. 453.

Ib. 21 *Fluvius Paulo*. Male Mſs. *fluvius Padus*, vel *Pado*. Recte emendavit Cl. Rezzonicus, *Paulo*. In Mſs. Voſs. *Palo*. Pomponio Melæ II, 4. *Paulon flumen*. In ejus oſtio Nicæa.

Ib. 23 *Cemenelion*. Bene Cl. Rezzonicus e Mſs. Palmarii, Ptolemæo & Inſcriptionibus veteribus. Cemenelium. Videntur ejus rudera ad mille quingentos paſſus ab urbe Nicæa.

296, 2 *Bimbelli*. Ita Mſs. Reg. Vatic. Riccardian. & Cl. Rez-

zonicus. Incertus eorum situs. Salluvii vero Aquas Sextias habitabant; Deciates prope Antipolim &c.

Ib. 8 *Tigullia*. Bene Cl. Rezzonicus e suis libris & Inscriptione Velejatium. Recte quoque distinxit, *intus Segesta Tigulliorum*.

Ib. 15 *Pollentia*, *Carrea*. Bene distinxit Cl. Rezzonicus.

297, 8 *Cosa Volcientium*. Bene editio princeps.

Ib. 15 *Seniensis*. Ita Mss. & editio princeps.

298, 7 *Timia*. Male editio princeps, *Trima*; aliæ, *Tinia*. Recte emendavit Cl. Rezzonicus, *Timia*. Servat nomen, & dicitur *Timia*. Cum, ob navigationem, ita continerentur aquæ per novem dies, patet antiquis notam fuisse artem aliquam molium.

Ib. 10 *Ne sic quidem*. Ne sic quidem potest fieri navigabilis, sed trabibus tantum meabilis, nec longe.

Ib. 11 *Meabilis fertur*. Bene Ms. Reg. 2, editio princeps, & Cl. Rezzonicus.

Ib. 14 *Citra tredecim millia passuum Urbis*. In Ms. Reg. & editione principe, *citra* XVI *millia*. Quod mallem.

299, 2 *Subitus incrementis*. Bene Ms. Reg. 5, & editio princeps. Male emendatum in recentioribus, *subitis*.

Ib. 7 L *mill. pass. longitudine*. Male Ms. Reg. 2, M. P. L *longitudine*: unde in editione principe *mille p.* & in recentioribus, *mille passuum quinquaginta longitudine*. Emendandum fuit L *mill. pass.* Immo mallem, *sexaginta millia passuum longitudine*. Tot enim sunt locorum millia, si loca ipsa inspicias, tabulamque Geographicam Cl. Boscovichii accuratissimam dimetiaris inter Tiberis ostia & Circeios.

Ib. 13 *A Romano rege*. Anco Marcio.

Ib. 19 *Homero*. Odyss. κ' vers. 194.

Ib. 21 *Theophrastus*. Hist. Plant. V, 9.

300, 16 *Liri amne — Glani appellato*. Liris amnis appellatus est Clanis, Κλάνις, teste Strabone, Libr. V, pag. 233. Unde apud Plinium videtur emendandum, *Clani*.

Ib. ult. *Falerni*. Falerni illi colles, generoso vino olim nobiles, nunc maxima parte steriles, & herinaceorum venatione famosi. Ibi tamen fit adhuc vinum non insuave, si sit vetus.

301, 13 *Phlegræi campi*. Hi sunt quos egregio opere nuper illustravit Cl. Hamilton.

302, 11 *Ilionenses Lavinii*. Ita legendum, sine commate; & ita habet editio princeps. Livius I, 1. *Trojani oppidum condunt. Æneas ab nomine uxoris Lavinium appellat*.

303, 6 *Duodecim semel numerentur*. Urbis Romæ duodecim

portæ erant geminæ; sed semel numerantur, cum triginta septem a Plinio recensentur. Aliter quadraginta novem forent numerandæ. Portarum geminarum vestigia adhuc manent in portis Majore & Sancti Pauli. De urbis Romæ magnitudine & populi multitudine dixi in Notis ad Tacitum, Annal. XII, 23.

304, 26 *Oppidum Pæstum*. Ibi manent egregia antiquitatis monumenta, quæ optime descripsit Cl. Major, *les Ruines de Pæstum ou de Posidonie dans la grande Grece*.

305, 1 *Oppidum Elea*. Bene Ms. Reg. 1. & editio princeps. Stephano quoque Ἐλέα, ἡ νῦν Βελέα.

306, 2 *Hispanias adluit*. Bene Ms. Reg. 1.

Ib. 5 *Alii Notium*. Id est, Meridionalem.

Ib. 13 *A frutice pineo*. Græcis πίτυς, pinus.

Ib. 20 c *mill. pass. est longitudine*. Bene Ms. Reg. 1 editio princeps & Cl. Rezzonicus.

Ib. 23 *Et Tucim*. Ita Mss. Reg. 1, & 2. Sine auctoritate emendatum in recentioribus editionibus, *& Cunici*.

307, 6 *Nec cuniculos*. Ita Mss. Reg. 1, 2, & Cl. Rezzonicus. *Nec* omissum in editione principe & recentioribus.

Ib. 10 *Stœchades — propter ordinem*. Ordinem enim Græci dixere στοῖχον. Inde Stœchades appellatæ. Una dicitur Prote, id est prima; alia Mese, id est media; tertia Hypæa, id est postrema.

308, 12 *Homero Inarime*. Homer. Iliad. II, 290. Ænaria, vel Inarime.

Ib. 16 *Capreæ, circuitu* XI *mill. pass.* Male Mss. Reg. & editio princeps aliæque, XL M. Optime emendavit Cl. Rezzonicus, XI M, errorem monstrante Josepho Maria Secundo, Caprearum præfecto, in erudita insulæ descriptione.

309, 22 *A Thucydide dicta*. Ita editio princeps. *S. Thucididi d.* Hard.

310, 3 *Charybdis mare vorticosum*. Vel summa fuit olim navigandi imperitia, vel valde mutata est locorum facies. Charybdis enim, antiquis adeo formidata, adhuc videtur prope arcem Messanæ. Vel minimæ cymbæ eam sine periculo trajiciunt. Nec ibi aliud est quam vortex ortus e variis aquarum intercursationibus, quæ colliduntur in iis angustiis Phari Messanæ. Altitudo aquæ ibi est tantum palmorum 30. Vide *Voyage en Sicile & dans la grande Grece, adressé à M. Winckelmann*, pag. 161.

Ib. 16 *Colonia Tauromenium*. Ibi adhuc visitur antiquum ejus theatrum, in quo scena, quæ in ceteris omnibus deest, ex-

tat integra. Inde patet quam curioſum ſit hujus antiquitatis monumentum.

Ib. 17 *Mons Ætna*. Cl. Hamilton die 26 menſis Junii, anno 1769 Ætnam conſcendit, craterem ejus diligenter inſpexit, ejuſque ambitum æſtimavit quoque duobus millibus & quingentis paſſibus. Conus eſt concavus inverſus, intus cruſta ſalina & ſulphurea veſtitus, qui ſenſim decreſcit, & ferme in punctum deſinit. Audivit a Cl. Rempro, qui Ætnæ hiſtoriam ſcribebat, montis altitudinem per perpendiculum eſſe trium millium Italicorum. Die illa 26 Junii in ſummo cratere barometrum notabat gradus 18, lineas 10; in imo monte gradus 27 lineas 4. Thermometrum vero, in ſummo cratere gradus 26, in imo monte gradus 24. Vidit ibi ortum Solis & patentiſſimum proſpectum. Vidit maximam partem Calabriæ, totam inſulam Siciliæ, inſulas Liparæ & Strongyli, licet amplius ſeptuaginta millibus diſtent. In accuratiſſima tabula Geographica dimenſus ſpatium, quod ſuis oculis tum obverſabatur, reperit hujus proſpectus ambitum eſſe nongentorum millium paſſuum. Pyramidalis umbra montis totam inſulam percurrebat; & mare attingebat. Quadraginta quatuor montes numeravit in latere Ætnæ, quod Catanam ſpectat, & multos alios in adverſo latere. Singuli illi montes ſunt conica forma, & craterem habent, qui in multis intra & extra magnis arboribus eſt tectus. Cl. Hamilton, *Voyage du mont Etna*, pag. 354.

311, 9 *Panormum*. Bene editio princeps.

Ib. 24 *Tyracinenſes*. Male editio princeps, *Triracinenſes*; editiones recentiores, *Tiracienſes*. Stephano ſunt Τυρακῖναι.

312, 7 *VII Æoliæ*. Omnes illæ inſulæ ignium ſubterraneorum vi ex eruptione ſunt enatæ, ut evidenter agnovit Cl. Hamilton, qui hæc loca diligentiſſime exploravit. Vide & Cl. Brydone, *Voyage de Sicile & de Malthe*, Tom. I, p. 36. Ibi autem a Plinii temporibus novæ inſulæ prodiere: nunc enim XI numerantur. Æoliarum inſularum maxima Lipara.

Ib. 9 *Vulcaniæ*. Æoliæ inſulæ dictæ ſunt a Romanis Vulcaniæ, quod ignes evomerent. Nunc fumum tantum reddunt. Una Strongyle ſemper ardet; tot abhinc ſæculis inexhauſta.

Ib. 14 *Circuitu paulo minor*. Bene Ms. Reg. 1, & editio princeps.

Ib. 27 *Strongyle*. In hac inſula mons eſt ignivomus, qui in eo differt ab Ætna & Veſuvio, quod continuo ignem, & rariſſime materias ejaculetur. Vidit tamen eum Cl. Hamil-

ton, anno 1769 ignitos lapides frequenter e suo cratere ejaculantem. Vidit quoque materias e montis latere erumpentes, & in mare decidentes. Inter continuas illas eruptiones, pars insulæ adhuc habitatur a quinquaginta familiis. Fertur nautas sereno tempore montem illum viginti quinque leucarum intervallo dissitum observare posse, ejus vero flammam multo longius noctu videri. Quod prodit horizontem ejus visibilem non esse minorem 500 millibus passuum, ac proinde maximam esse ejus altitudinem. Cl. Brydone, loc. cit. pag. 40.

313, 19 *Dioscoron*. Castoris & Pollucis Διοσκούρων. Ibi nunc sunt tantum scopuli, ubi olim insula Dioscoron, & insula Calypsus, Homeri & illustrissimi Fenelonii ingeniis clarissima. Inde patet quantum ab Homeri & Plinii temporibus immutata fuerit in his locis naturæ facies. Sic quoque inter scopulos latent Tiris, Eranusia & Meloessa.

314, 1 *Amnes Crathin & Sybarin, ubi fuit urbs*. Hos inter fuit urbs Sybaris, olim voluptatibus insignita, nunc ob uliginosa loca sordet terra, & pestilens est æstate. Distabat tribus millibus passuum ab oppido Coriolano. In oppido autem Thurii inventi eorum nummi.

316, 20 *Caudini*. Unde nomen Furcis Caudinis, ubi victi a Samnitibus Romani, & sub jugum missi. Manet cladis memoria in loco, qui adhuc dicitur, *Forchie*.

318, 5 *Sevini appellati*. Sevini, ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, dicti.

Ib. 6 *Nar amnis*. In Narem influit Velinus. Velinus autem Velinos lacus subdit, & in Narem amnem influit, qui postea ipse Tiberim petit.

Ib. 20 *Voto vere sacro*. Illud est ver sacrum; quo animalia, vere inter Kalendas Martias & pridie Kalendas Majas nata, immolabantur.

319, 1 *Intus Novana: in ora Cluana*. Bene Ms. Reg. 1, & editio princeps.

Ib. 5 CLXXXIIII M. Ita Ms. Reg. 1, & editio princeps.

Ib. 10 *Jungetur hic*. Ita Mss. Reg. Nec aliter editio princeps.

Ib. 23 *Asisinates*. Bene Cl. Rezzonicus ex Inscriptionibus veteribus.

320, 1 *Forotulienses, cognomine Concupienses*. Ita Mss. Reg. & editio princeps. Sine auctoritate in recentioribus editionibus emendatum, *Forojulienses, cognomine Concubienses*.

Ib. 2 *Iguini*. Ita Ms. Reg. 1, editio princeps, & vetus Inscriptio apud Cl. Rezzonicum. Dicti quoque sunt *Iguvini*.

Ib. 6 *Camellani*. Mss. Reg. & editio princeps. (*Camelani* Hard.)

Ib. 12 *Vindenates*. Bene editio princeps, & Inscriptiones veteres.

Ib. 20 *Persei bellum*. Bellum Persei cœpit anno Urbis conditæ DLXXXIII, ante Christum 171. Ergo Ameria condita est 1035, annis ante Christum.

Ib. 23 *Amnibus Arimino & Prusa*. Ita Mss. Reg. Ambrosian. & editio princeps. Rubico, *Luso*, ut volunt Ariminenses. Cæsenates autem contendunt esse *Pisatello*: his favent Cll. Morgagnus & Rezzonicus.

321, 9 *Saltusque Galliani*. Ita Mss. Reg. Vatic. Riccardianus & Medicæi. Nec aliter editio princeps. Illi Gallorum Saltus, juxta Cl. Rezzonicum tenebant aspera Apennini cacumina supra Mutinam, Regium & Parmam, ubi adhuc amplissimæ silvæ.

Ib. 10 *Tannetani*. Antonino in Itinerar. Tannetum DCCL M a Parma. In Mss. Reg. Chiffl. Riccardian. & Medic. *Tannitani*. Mox: *Veleiates*. Bene Cl. Rezzonicus, ex Tabula Trajana, de qua jam dixi supra.

Ib. 11 *Cognomine veteri Regiates*. Bene Cl. Rezzonicus. Mox: *Umbranates*. Ita Ms. Barberin. & Cl. Rezzonicus.

322, 4 *Inciam*. Bene Mss. Reg. 1 & 2.

Ib. 13 *Augusta fossa*. Bene Mss. Reg. 1, & 2. Sic quoque esse emendandum recte viderunt Cluverius & Cl. Rezzonicus.

323, 5 *Ostia plena Carbonaria*. Bene Mss. Ambrosian. & editio princeps. Mox: *Fossiones Philistinæ*. Fossiones illæ Philistinæ, ut & Philistina fossa nomen trahunt a Philistæis, qui eas regiones tenuere.

Ib. 7 *Atesi*. Mss. Reg. editio princeps & Cl. Rezzonicus.

Ib. 10 *Meduaci duo*. Mss. Reg. editio princeps & Cl. Rezzonicus.

Ib. ult. *Fructuoso alveo importat*. Bene Mss. Reg. 1, Ambrosian. & Cl. Rezzonicus. Nec aliter Plinius, Libr. XIX, sect. 1. *Ignoscat tamen aliquis Ægypto serenti, ut Arabiæ Indiæque merces importet*. Padus autem maria cuncta seu cunctas maris opes Transpadanæ regioni importabat. Mox: *Vibiforum*. Bene Ms. Reg. 1, & editio princeps.

324, 4 *Atque Peninas*. Bene Mss. Reg. Ambrosian. & Cl. Rezzonicus. In Inscriptione vetere, DEO PENINO. Nomen sane ductum a voce Celtica, *pen*, quæ apud Aremericos caput & verticem adhuc significat.

Ib. 11 *Ex quibus Lævi*. Sic Ms. Reg. 1.

Ib. 12 *Transalpibus profecti*. Bene Mss. Reg. 1, & 3, editio princeps. Male in recentioribus emendatum, *trans Alpes provecti*.

Ib. 14 *Liciniforum*. Mss. Reg. 1, 2, & editio princeps.

Ib. 18 *Vitam in montibus degentibus*. Orobii dicti ab ὄρος mons, & βίος, vita.

325, 8 *Tiliaventum majus minusque*. Mss. Reg. Ambrosian. & Cl. Rezzonicus. Mox: *Anaxum*. Mss. Reg. Ambrosian. editio princeps, & Cl. Rezzonicus. Porro: *Quo Varianus defluit*. Mss. Reg. Colbert. Ambrosian. 2, & editio princeps. In Ms. Reg. 2, *Varamus*.

Ib. 12 *Nobile vino Pucinum*. Nunc *Prosecco*. Mox: XXXIII M ab *Aquileia*. Bene Mss. Reg. Landinian. Ambrosian. & editio princeps. Male in recentioribus editionibus emendatum, XXIII. Inter Aquileiam & Tergestem sunt passus amplius XXX M.

327, 13 *Adduam Larius*. De his lacubus jam dixi supra Libr. II, Cap. 103.

328, 21 *Caput eorum Stœnos*. Optime Ms. Reg. 1. Sic & Fasti Capitolini, DE LIGURIBUS STŒNEIS.

329, 1 *Cottianæ civitates*. Postea a Nerone in provinciæ jus redactæ; ut dixi ad Tacitum in Supplemento Annal. X, 10.

329, 23 *Item attributæ*. Nec adjectæ sunt civitates, quæ lege Pompeja fuerant attributæ municipiis, ut eo jus peterent.

Ib. ult. *L. Æmilio Paulo*. Æmilius Paulus & Atilius Regulus Consules fuere anno Urbis conditæ DXXIX, ante Christum 225.

330, 6 *Arsiæ*. De Arsiæ amni jam dictum sect. 23.

Ib. 26 *Colentum insula*. Nunc, ut creditur, *l'isola Morter*. Ibi rudera antiqua, quæ memorat Cl. Fortis, *Viaggio in Dalmazia*, Tom. I, Epist. ult.

331, 9 *In decurias* CCCXLII. Ita Mss. Reg. Colbert. Paris, & editio princeps. In Ms. Reg. 2, CCCLXII. Mox: CCLXIX. *Mazæi*. Ita Mss. Reg. 1, 2, Paris. & editio princeps.

Ib. 14 *Peguntium*. Corrupte Mss. Reg. & editio princeps, *petunt in eam*. Unde emendatum in recentioribus editionibus, *Peguntiæ*. Emendandum erat *Peguntium*. Ptolemæo enim II, 17. Πηγούντιον.

332, 21 *Nympheum promontorium*. Ms. Reg. 1 & editio princeps.

Ib. 21 *Celebre Nympheum*. De quo jam dictum supra Libr. II, sect. 110.

333, 4 *Vianiomina*. Ita Ms. Reg. 1.

334, 14 *Ad flumen Drinium* DXXX. Perperam in recentioribus editionibus DCCC. Bene Mss. Reg. 1, 2, 5, DXXX, & for-

te paulo major adhuc est numerus, ni multos viarum anfractus & circuitus computaverit Agrippa.

Ib. 16 *Acroceraunium* CLXXV. Mss. Reg. & editio princeps.

Ib. 17 *Ambitu* XVII. Ita Mss. Reg. 1, 5, & editio princeps. Id est, septies decies centena millia passuum. Mox: *Quo distinximus fine*. Supra sect. 16.

335, 9 *Electridas vocavere*. Bene Plinius vanitatem Græcam arguit, cum in hoc mari non fuerint Electrides insulæ; ut dicetur infra Libr. XXXVII, sect. 11.

Ib. 15 *Contra Surium*. Bene Mss. Reg. 1, 5, & editio princeps. Eruditus Harduinus ex infelici conjectura male emendavit, *contra Tragurium*. Inter Surium & oram Sicensem sunt insulæ Celadussæ. Vide Cl. Fortis, *Viaggio in Dalmazia*, Tom. I, Epist. ult. Mox: *Bubua*. Ita editio princeps. Forte Plinius scripserat tantum *Bua* aut *Boa*. Est insula, quæ in Cod. Theodosian. Leg. III, de Hæretic. appellatur *Boa insula*. Sub imperatoribus Romanis fuit exsiliis famosa. Porro: *Capris laudata Brattia*. Ibi capri agnique sunt adhuc exquisitissimi saporis, teste Cl. Fortis.

Ib. 17 *Corcyra, Melæna cognominata*. Corcyra cognominata est Melæna, id est nigra, ob umbrosam silvarum proceritatem.

Ib. 21 IV. *Elaphites*. In Ms. Reg. 1, & editione principe, VII *Elaphites*. Quod verius crediderim. Plures enim ibi sunt insulæ, quam quatuor. Ita autem sunt dictæ a cervorum copia.

Ib. 22 *Ab Orico* XII *millia passuum*. Male Mss. Reg. 1, 5, MM P. Male quoque recentiores editiones, M *millia passuum*. In editione principe, III M P. meliore quidem, sed exiliore, numero. Emendavi XII *millia passuum*; quod satis indicat Scylax, pag. 10, cum ait ex insula Sasone in Oricum navigationem esse tertiæ diei partis εἰς Ὠρικὸν πόλιν ἐϛὶ παράπλους ἡμέρας τρίτον μέρος. Paulo supra dixerat ab Orico ad mare stadia esse LXX ϛάδια π. Saso, vel Sasonis insula.

# CODICES MANU SCRIPTI,

## *Qui in hac editione sæpius laudantur.*

*Reg.* 1, Sæculi IX, omnium antiquissimus & optimus in Bibliotheca Regia, num. 6795.

*Reg.* 2, Sæc. XIII, num. 6797.

*Reg.* 3, Sæc. XIII, num. 6798.

*Reg.* 4, Sæc. X, in quo tantum pars libri II. Plinii, num. 4860.

*Reg.* 5, Sæc. XIV, olim D. du Fresne, num. 6801.

*Reg.* 6, Sæc. XIV, olim Colbertinus, num. 6803. Præterea sunt in eadem Bibliotheca Regia quatuor alii codices Mss. Plinii, olim Colbertini, num. 6796, 6799, 6800.

*Reg.* 7, Sæc. XV, num. 6804.

*Paris.* Sæc. XI. Fuit in Bibliotheca Collegii Ludovici Magni, nunc in Batavia.

*Lang.* Carolus Langius Plinium, Basileæ a Frobenio editum anno 1545, contulit cum Mss. Belgicis, quos inter unus fuit Cameracensis, antiquissimus.

*Torrent.* Lævinus Torrentius Plinium, Basileæ a Frobenio editum anno 1554, contulit cum Mss. Belgicis.

*Ambrosian.* Ambrosianæ Bibliothecæ Mediolanensis codices Plinii Mss. aliosque plurimos Vaticanos, Laurentianos, Riccardianos, &c. inspexit Cl. Rezzonicus, descripsitque in suis *Disquisitionibus Plinianis*.

# NOI RIFORMATORI

## Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. *Gio: Tommaſo Maſcheroni* Inquiſitor Generale del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato *Caji Plinii Secundi Hiſtoriæ Naturalis Libri XXXVII, quos recenſuit, & Notis illuſtravit Jo. Gabriel Brotier. Stampato*, non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni Coſtumi, concediamo Licenza a *Nicolò Bettinelli* Stampator di *Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 9. Ottobre 1784.

(
( ANDREA TRON K^r. Proc. Rif.
( GIROLAMO ASCANIO GIUSTINIAN K^r. Rif.

Regiſtrato in Libro a Carte 140. al Num. 1213.

*Davidde Marcheſini Seg.*